2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE INDIAE OCCIDENTALIS MALIGNA FLAVA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS MAKITTRICK,

BRITANNUS.

Ad diem hora locoque solitis.

EDINBURGI:

APUD A. DONALDSON.

M DCC LXVI.

BRITISH
MUSEUM

VIRO HONORABILI,

GULIELMO MAXWELL,

DE INSULA ANTIGUA,

ARMIGERO;

THALASSIARCHIAE PRAETORI,

AC CONVENTUS SENATORI PRAECLARO;

BENEVOLENTIA, URBANITATE,

NEC MINUS DIGNITATE ET FIDELITATE SUMMA

QUIBUS OFFICIA IN PATRIAM SUSTINET,

ADMODUM CONSPICUO;

CONSANGUINEO SUO,

SUMMOPERE COLENDO;

NEC NON

VIRO HONORABILI,

EDWARDO HORNE,

DE INSULA GRENADA,

ARMIGERO;

CONCILII SENATORI,

ET COGNITORI REGIO,

INTEGERRIMO;

IN REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS

SPECTATISSIMO;

OB JURIS PERITIAM,

PROBITATEM,

MORUMQUE SUAVITATEM ET ELEGANTIAM,

INSIGNI:

PARITERQUE

De INSULA CANINGUA

VIRO PRAESTANTI,

GULIELMO MILLAR,

DE INSULA ANTIGUA,

ARMIGERO;

MORUM FACILITATE, HUMANITATE,

AC ARTIBUS INGENUIS ORNATISSIMO;

NEQUE MINUS MEDENDI PERITIA PRAECLARO:

HISCE OMNIBUS ET SINGULIS,

AMICIS SUIS PERBENIGNIS,

LITERARUM ET ARTIUM LIBERALIUM

CULTORIBUS ET FAUTORIBUS:

OPUSCULUM HOC MEDICUM,

IN PERENNEM OBSEQUII ET AMICITIAE TESSERAM,

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

QUoniam medicinae praxis congrua, cum de vita civium et ſanitate res agitur, magni momenti ſit, et in republica humana plurimum valeat; ſummo ideo jure per leges hujus Academiae inſtitutum fuit, ut Candidatus Coronae Apollineae aemulus, inter alias in arte medica cognitionis exercitationes, tentamen medicum, eruditorum examini ſubjiciendum, in forum publicum proferret.

Auctor in regione longinqua occidentali, qua morbi plerique, propter climatis indolem, faciem ſibi quaſi peculiarem vindicant, rei medicae ſtudio et commercio diu incubuit. De febribus itaque nonnullis putridis, quae per Indiam Occidentalem longe lateque populantur, ubi homines, plagarum poſitura, quippe ſub curru Solis nimium propinqui, magnopere ad tales morbos ſunt proclives, diſſerere volebat.

Praeter febrim flavam malignam, ante omnes alias quam maxime periculoſiſſimam, febres itidem remittentes et intermittentes putridas oratione proſequendas ſuſceperat; ut genium, diagnoſin, et medelam harum febrium, inſtituta viciſſim comparatione, melius praefiniret. Sed cum penſum abſolviſſet, ut partem operis magnam ſubtraheret, neceſſario coactus fuit; alioquin hoc opuſculum longe ultra modum porrexiſſet.

Febris

Febris ideo maligna flava praecipuam hujus tractatuli partem occupavit.---Symptomatum rationem exponendo, ordinis legibus per consuetudinem quasi sancitis obsequi conatus est: Operis impendio, quod omnino fere supervacaneum esset, siquis dissertationem in publicum solummodo commodum consecraret; sed quod, sibi peculiare, et minime praetermittendum, Thesis Inauguralis necessario depostulat.

Sed, dum necessarium habuit, ut pensum, ei qui curam aegrorum diutius egerat, ingratum susciperet, observata practica, ad prognosin speciatim pertinentia, proferendi occasionem arripuit, quae ad morbum elucidandum spectarent, et vix ad ullam aliam hujus tractatuli sectionem commode reportari possent.---Alios morbos cum febre maligna flava comparavit, ut, ex phaenomenis simul collatis, uniuscujusque differentiam vel congruitatem statueret. Et eo fusius in hoc argumento tractando commoratus est, quia necesse fuit, ut a quibusdam magni nominis medicis dissentiret.

Uti phaenomena morbi sedulo depingeret, causas et rationes, nullius in verba juratus, indagaret, atque medelae indicationes, sicut eas praxis diuturna sibi monstraverat, institueret, ex proprio imprimis penu observationes sequentes in medium protulit.

Sed, quoniam fatendum, quod praxis, quae

hujus

hujus tractatuli fundamentum ſtruxerat, morbo dicto debellando ſaepius impar fuit; ſumma ideo verecundia ſequentia propoſuit, meliora agnoſcere, et candide proſequi, ſemper paratus.

Exacto de febre maligna ſermone, hiſtoriam morbi putridi et inſoliti annexuit: Confitetur tamen ſe morbi ingenium minus callere; quia, propter ſuam per plurimos menſes in Indiam Borealem, ſalutis gratia, peregrinationem, perpaucae ſibi, ut morbum obſervaret, occaſiones adfuerunt. Cognitionis inopiam, quantum potuit, obſervationibus aliorum compenſavit.

Morbi inſoliti, et humano generi antea incogniti, in hiſtoria medica interdum ſeſe offerunt: Horum nonnulli, revera fugaces, quum a cauſis minus conſtantibus pendeant, poſt perniciem temporaneam hominibus illatam, nunquam forſan redituri, penitus evanuerunt; dum alii, ſemel orti, infeſtare perſtiterunt, et ſemper forte perſtabunt. Utriuſque generis exempla omnibus innoteſcunt.

Ex conſenſu medicorum conſtat, quod vel fida morborum ſingulorum hiſtoria, ad medicinam ampliandam et locupletandam, plus contulit, quam totum hypotheſiôn agmen, quibus, per tot ſecula, ars medica infeſtata fuit.---Quantum autem utilitatis ſecum adferat hujus mali ſequens hiſtoria, non adeo conſtat; ſed quoniam cauſae, quae huic morbo inducendo conferebant, concurſu infelici, morbo haud abſimili anſam poſthac praebeant,

beant, ejusdem historiam paucis enarrare haud alienum existimavit.

Quum diu adversa valetudine obluctaretur, si errores in hoc opusculum irrepserint, aut si minus accurate quam decuit pensum hocce absolverit, ut Judices doctissimi et candidissimi eum excusatum habeant, orat atque expostulat.

Tot denique et tanta, a Praeceptoribus suis spectatissimis et doctissimis, urbanitatis equidem et beneficentiae erga se indicia expertus est, ut, si meritas sane gratias in foro publico non retulisset, eum muneribus acceptis omnino indignum fuisse arguisset.

CORRIGENDA.

Pag. 1. l. 6. *pro* consuetudine, *lege* consuetudini.
4. l. 18. *pro* decipiunt, *lege* desipiunt.
26. l. 19. *pro* amoliri, *lege* emendari.
28. Not. *pro* N° 70, *lege* N° 7.
29. Not. *pro* Ed. 4to, *lege* ed. 4.
56. l. 17. *pro* interiora, *lege* inferiora.
59. Not. *pro* and Medicine, *lege* in Medicine.
61. Not. *pro* Jac. Enshe Palmer, *lege* Joan. Fish Palmer.
65. l. penult. *pro* cum, *lege* nec.

DIS-

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE FEBRE INDIAE OCCIDENTALIS MALIGNA FLAVA.

DEFINITIO.

DEFINITIONES morborum accuratas et revera diagnoſticas, propter ſymptomatum utique pathognomonicorum inopiam, decernere nonnunquam ſit ſane difficillimum, nuſquam vero magis quam in morbo de quo ſcripturi ſumus; conſuetudine attamen obſequentes penſum ſuſcepimus.

FEBRIS maligna flava morbus exiſtit acutiſſimus, cum oculorum ardore notabili, anxietate praegravi, debilitate ſumma, vomitu immani aſſiduo, haud raro bilioſo, hypochondriorum tenſione, ſenſuque ponderis, ac ſub premente manu dolore, conſociatus; haemorrhagia multifaria per itinera inſolita profluente ſtipatus; nec denique ſuffuſione univerſa, fuſco-flava, minus inſignitus.

Morbi Historia.

Morbus modo depingendus, ab Hiſpanis *Vomito prieto*, apud Gallos *Maladie de Siam*, et *La fievre de Mateloite*, varie nominatur; ac apud ingenioſum Sauvage, dum morborum aciem ſecundum ordinem botanicum inſtruere conatur, Febris Maligna, *Typhus Icterodes*, deſignatur *.

Ut ejuſdem tam hiſtoria, quam diagnoſis, melius eruatur, in duo ſtadia, ardens nempe ac putridum, febrim diſtinguere convenit. In limine autem monendum, quod utriuſque ſtadii ſymptomata ſeorſim et accurate diſcriminare non ſemper licebit, quoniam ſenſim ſenſimque primum in alterum plerumque tranſit.

Febris maligna flava ab rigore, et ſenſu frigoris leviore, potiſſimum poſt nimiam ſub ſole meridiano moram, ut plurimum praeludit. Vertigo ſimul urget, caputque dolore gravativo ſuper oculos, leviuſcula pariter nauſea et appetitu proſtrato comitante laborat. Calor vehemens, urens, et tangenti digito admodum ingratus, rigorem brevi excipit; pulſus interim plenus, velox, altus ſimulque mollis deprehenditur; arteriae carotides vibrant; dum dolor capitis, tempora quaſi percutiens, intenditur. Vultus ſubtumidus rubeſcit; oculi, lucem refugientes, ſanguine ſuffunduntur, et cum ſenſu ardoris dolent; multuſque interea dolor in juncturis haeret, lumboſque pervadit. Creſcit nauſea vomitum ciens, qui per totum morbi tenorem eo uſque infeſtare perſtat, ut ventriculus quodlibet aſſumptum pertinaciter reſpuat.

* Noſologia, tom. II. claſſ. 2. ord. 4. ſpec. 7.

Materies,

Materies, per ista conamina rejecta, varia admodum conspicitur; nunc ingesta tantum potulenta, nunc bilis ipsa sincera, sive flava, sive virideſcens et acris, sursum rapiuntur. Anguſtia circa praecordia, et anxietas moleſtiſſima, vomitum comitantur; hypochondria item plus minusve ut plurimum tumida, cum aestus interni et ponderis quasi ad scrobiculum cordis sensu, contrectata dolent. Respiratio difficilis, fervida, suspiriosa, evadit; et aeger surgens, vertiginosus, jactabundus admodum, agrypnia pertinaci haud raro tentatur; vel, si levior somnolentia urget, insomniis quasi territus exagitatur. Sitis adest intensa, et oris amaror vexat. Lingua inter initia morbi alias nitida, alias albida, muco illita, rarius sordida, flaveſcens apparet. Alvus pleriſque compreſſa est; at diarrhoea paucos exercet. Urina rubeſcit, et minus quam ex consuetudine exit. Cutis fere areſcit, atqui interdum, ad superiora, rorida. Hoc modo febris accenditur; die attamen secundo, nempe 36 vel 48 circiter horis post morbi ingreſſum, mane ut plurimum mitiora symptomata remiſſionis imaginem quasi prae se ferunt. Pulsus enimvero lentior, sed languidus; dolor capitis non aeque moleſtus; nausea et vomitus tamen neutiquam ceſſant; cutis naturaliter fere temperata evadit, adeo ut morbum esse superatum nonnunquam credant aegroti, immo et adstantes amici. Verum his induciis non habenda est fides; post meridiem enim symptomata auctis viribus redeunt; vomitus quam antea atrocior assurgit, atque guttas sanguinis inter vomendum stillant nares; sitis sit inexplebilis; atque lingua super medio scabra, fusca, ad inferiora et latera una cum labiis vividiſſime rubeſcit; versus morbi finem haud raro nigricans

conſpicitur. Symptomata appropinquante veſpere plerumque exacerbantur, et nox aegerrime tranſigitur; alias frequens in ſomnum inclinatio ſubrepit, alias vigiliae perturbant, in utroque ſumma irrequies. Ecce ſtadium inflammatorium! Sudor viſcidus tertio die nunc citius nunc ſerius obortus, minimeque reficiens, pulſus languidus, mollis, parumque citatus, cutiſque egelida, ſpeciem quandam levamenti iterum exhibent; ſed nihil minus: Namque vires prius infirmatae, nunc magis ac magis elangueſcunt; anxietas non minus moleſta perſtat; ſpiratio rarius perficitur, et alta trahuntur ſuſpiria. Anima ex cauſa fere leviſſima interdum deficit, maxime dum aeger ſeſe in lecto erigere nititur; premente interea ſyncope, flavedine, vice rubedinis, facies et collum imbuuntur, quae reſurgenti brevi deceſſit. Somnolentia magis urget; decumbentes non raro leviter decipiunt, rurſumque mentis ſatis compotes evadunt. Oculorum rubor, in fuſcum ſenſim mutatus, ad flavum tandem accedit, quo tota corporis ſuperficies brevi poſthac imbuitur. Nixus ad vomitum die quarto non aeque moleſtus; bilis veruntamen putrida, atro ſanguine commiſta, ore rejecta prorumpit; dum uterque deorſum ſine torminibus praecipitatur. Sanguis nunquam cohaerens, nunc e naribus diſtillat, nunc per gingivas percolatur.

Pulsus exilis, vacillans, intermittens, evadit; hypochondria aeſtuant, et tument; ſingultus inceſſanter fere urget; manus ac pedes frigeſcunt, tument ſimul, purpureoque foedantur colore. Labia arida et ſordibus obſeſſa liveſcunt; foetet anima; livida lingua tremiſcit; et oculi pulverulenti apparent. Urina, quam maxime flaveſcens, turbida

turbida demittitur; ex qua quod decidit, fere, vel ex toto, nigreſcit.

Ecce nunc coma altum! dum febricitans, interdum apoplecticorum aemulus, nunc ſtertit, nunc abſque moleſtia ſpiritum ducit. In aliis vero coma levius adeſt, cum deliriis interruptum. Sub hac rerum facie manet nonnunquam vita per horas 36 et ultra; dum vix ad carpum micat arteria, et exanimis fere jacet moribundus. Exanthemata interea, livida et lata, circa praecordia et lumbos ſparſim diſſeminantur; muſculi labiorum et manus tremiſcunt et ſubſiliunt; et laborans, ſenſim vehementius exagitatus, convulſione univerſa corripitur, et vitam pro morte commutat.

En ſymptomata febris maxime conſueta? Sed alia dantur, atque in diverſis alia, prout magis minuſve genus nervoſum laborat, aut inflammatio vel putredo, altera ſuper alteram, invaluerit. Febris enim ſub eadem imagine minime perpetuo graſſatur, neque eundem tenorem ubique conſervat. Interdum equidem, inſidioſe et ſubdole quaſi, larvam febris nervoſae gerens, lentis pedibus accedit; tunc enim ſymptomata per aliquot dies pergunt, antequam aeger lecto affigatur: Et aliqui profecto, poſt luctamina ſtadii primi haud notabilia peracta, ſimulationem morbi levioris, ad horam vitae ferme noviſſimam, prae ſe ferunt. Aeger mente et pulſu conſtat, ac fere ut ſanus loquitur. Et qui adſtantibus brevi convaliturus ſperabatur, mox convulſione rapitur; vel leipothymia oppreſſus, placide fato cedit. Sub primo inſultu, delirium interdum invadit; ſaepius vero, per totum morbi decurſum, mens plane conſtat. Neque omnibus conceditur, ſecundo die, ſymptomatum remiſſio; verum nonnullis malum

malum continenter pergit, et vires eundo conſeſtim acquirit, uſque quo induciae inſidioſae ſtadium adeſſe ultimum monſtraverint. Quamvis enim, circa diem tertium, putrida labes plerumque ſe manifeſtat; nonnullis tamen, aetate juvenili et temperamento gaudentibus, ſymptomata in praeceps ruunt; atque mors tam feſtinanter obrepit, ut artis ſubſidiis locus vix pateat; ſed decumbens, intra horarum 36 vel 48 ſpatium, animam exhalet. Sanguis, per vias inſolitas haud raro prorumpens, effluit; per tuſſim enim e pulmone rejicitur; per renes in urinam tranſit; e canthis oculorum internis, per anaſtomoſin, percolatur; vel denique, ſuperficiem corporis petens, ſudore ſubſanguineo, ichoroſo, foetido, dimanat. Nonnullis dejectiones, alias bilioſae, alias aquoſae, ſub initio morbi profluunt; hiſque, modo uberius fiant, fere ſaluti ſunt; ut plurimum tamen, non, niſi poſt conceptam ſummam putredinem, provolvuntur. Hoc autem fere peſtiferum. Petechiae raro ſummum corpus foedant. Vena in principio inciſa, ſanguis floridus, rutilus, plerumque exit; atqui, refrigerio aeris expoſitus, habitu laxiore apparet, quam in ſanitate conſueverat. Craſſamentum autem cruoris, poſt tertium diem detracti, nigricans, vix cohaerens, citoque putrefcens, deprehenditur; et elapſis aliquot horis, parum, vel ne vix, a ſero ſeceſſiſſe videtur.

Cadaver hominis, hoc morbo tertio die confecti, quod horis poſt mortem circiter quatuor fuit inciſum, ſequentia phaenomena exhibuit. Livor inſignis, hinc inde corpus ſummum, potiſſimum vero cervicem, praecordia, et lumbos, deformabat; reliquum autem colore luteo erat imbutum; venterque haud leviter tumidus apparuit.

Primum

Primum ſe obtulit omentum; cujus vaſa ſanguis fluidus, ſubniger, diſtendebat; fuere praeterea ubique in ejus ſuperficie, prope marginem inferiorem, corpora rutila, glandiformia, quae inciſa dabant ejuſdem indolis ſanguinem. Ea quoque peritonei portio, quae verſus renem dextrum proſpiciebat, vaſorum turgeſcentium congerie fuit conſpicua. Veſica fellea bile nigricanti plena fuit. Hepar, quamvis parum mole adauctum, notas integritatis non ex toto conceſſit; ejuſdem enim compages putredine aliquantum reſolvi et vitiari videbatur; dum ſanguis, admodum liquidus, e vena portarum manabat. Inſignis inflammatio tunicas ventriculi, duodeni, pariterque ilei, et meſenterium illi adnexum, occupabat. Apertis exinteſtinis, vermes vivi e teretum familia complures erant educti. Abdominis cavum penitus ſiccum, ſero inibi, morbidis potiſſimum, invento deſtitutum. Veſica urinaria fere plena in ventrem ſolito altius ſurrexit, et nonnihil inflammata. In aperto thorace, praeter naturam nihil repertum fuit; pulmo optime ſanus, et utrinque liber; at pericardium humorem ſeroſum flavum, ſolito tenaciorem, et quam ex conſuetudine uberiorem, continebat; nec alibi vitium apparuit. Atqui cranium non fumus ſcrutati. Monendum tamen, quod tela cellularis mucagine tenaci lutea, digitos inficiente, paſſim repleta inveniebatur. In aliis attamen, quos hoc morbo ſublatos aperuimus, hepar fuit plerumque ſphacelo corruptum, maxime ubi ventriculo accumbit; dum ventriculus ipſe inflammationis indicia dedit ſatis aperta; itemque parietes ejuſdem ſolito craſſiores apparuere.

Veſica fellis bile atra, digitos inquinante, turgida; et venae, ſicuti in jam memorato, ſanguinis

guinis ſubnigri, liquidi, plurimum continebant. At revera fateor, metum contagii, quo morbum pollere olim opinatus fui, ab ingrato labore me haud ſemel deterruiſſe.

Febris quam ſupra depinximus, Indiae Occidentalis imprimis ſoboles, in aliis regionibus fortaſſe fuit comperta. Hippocrates febrim deſcripſit, ubi dolores praecordia, ſed dextram maxime hepatis regionem occupabant: Et ſi ſymptomata, febre vehementi conſtipata, praecipiti gradu decurſum abſolverant, tunc flavedo ſummam cutim imbuebat *. Tales febres alibi † quidem, et paſſim, memorantur; hi tamen morbi notae longe melioris fuiſſe, et icſtericam ſuffuſionem, in criſin, ut plurimum, vindicaſſe viderentur. Hepatis inflammationem, cum febre acuta conſociatam, inter nautas graſſantem, et eaſdem cauſas ac febris occidentalis agnoſcentem, Bontius vidit ‡. India borealis febrim conſimilem alit §; autumnali potiſſimum tempeſtate: Neque deſunt qui febrim indolis ejuſdem, inter aeſtivos Europae morbos, interdum verſari opinantur ‖; ſed huic ſententiae aſſentire nequeo. Quamvis enim non dubitandum, quin cuilibet regioni, ubi ſol aeſtivus magnopere fervet, febres putridae ſint familiares; veruntamen calor aeſtatis in regionibus Europaeis, vix, ni fallor, eo uſque creſcit, ac in plagis Indiae borealis, ſub eadem latitudine poſitis. Cujus ratio a plurimis cauſis pendeat; ſed

* Liber de affectionibus.
† De morbis vulgaribus.
‡ Medicina Indor.
§ Vide Lining's Letter to Dr. Watt, Eſſays, phyſical and literary, vol. II.
‖ Mihel's Noſology.

ex

ex eo quam maxime fit, quod iſtae regiones, propter ingens ſylvarum agmen, non ſat bene perflantur. Nec revera nos latet, quod peritus CLEGHORN *. febres deterioris ingenii tertianas notavit, quae febri ab HIPPOCRATE depicta quodammodo congruerunt, ſed abfuere febris occidentalis nonnullae notae penitus ſpecificae. Neque adeo noſtrae opinioni convenit, id quod clariſſ. PRINGLE, ex auctoritate ingenioſi HUCK, innuiſſe videatur, dum febrim malignam flavam e remittentium caſtrenſium familia repetere voluit †. Namque febrim remittentem putridam, in Inſula Barbadoenſi graſſantem, ac caſtrenſi conſimillimam, HILLARY deſcripſit ‡. Similem febrim, apud Antiguam, interdum videre fuit occaſio: Sed tunc quidem ea non pariter, ac apud Barbadoes, ſui typi et tenoris adeo tenax deprehendebatur, quin, exhibito Cortice Peruviano, aut typo mutari, aut omnino fugari poſſit. Iſta veruntamen febris nunquam ſive indolem, ſive exitum, febris flavae ſibi arrogavit.

DIAGNOSIS.

QUAMVIS febris maligna flava notas, ſibi proprias ſatiſque diſcriminantes, in ultimo ſtadio vindicat, ineunte tamen morbo vix ita ſe habet. Quoſdam itaque morbos, imagine duntaxat, aliquanto huic affines, cum ea comparare lubet, ut diagnoſis magis luculenta inde eruatur.

IN limine autem ſcire eſt, nullam dari febrim genere, ne dicam ſpecie, ipſa peſte vix excepta,

* Diſeaſes of Minorca.
† Army Diſeaſes, edit. 4th.
‡ Diſeaſes of Barbadoes.

ſi fidendum ſit Domino WARREN, quae nonnunquam medico, qui in India Occidentali verſatur, ſeſe non manifeſtaverit; ad eas enimvero febrium multiplices diverſitates notandas inter nautas imprimis occaſio conceditur. Quum igitur ita ſe res habet; haudquaquam, ut opinor, ſit alienum, quaedam de febribus putridis in genere praemittere. In omni regione et climate, febres putridae multifariae ſigna, ſeipſas in univerſum, diſcriminantia, concedunt, quae eas ab aliis indolis diverſae febribus ſatis inſigniter ſecernere conſueverunt: Attamen, pro vario aegrotantis habitu quem adoriuntur, ſymptomata haud leviter inter ſe diſcrepant. Febris enimvero ardentis inflammatoriae ſpeciem, principio maxime, interdum ſibi adſciſcunt; aut febris lentae nervoſae morem haud raro gerunt. Iſta morbi facies, adeo diverſa, a variis, tam ſolidorum, quam fluidorum, conditionibus, quibus conjuncta accedit acrimonia putrida, toto coelo pendere videtur *; ratione veruntamen habita ad hanc differentiam, a temperamento ortam, affinitas interea notabilis reſtat. In quacunque enim regione tales graſſantur febres, ſpiritus illico proſternuntur, vires vitales magnopere laeduntur, et confeſtim fatiſcunt; minus tamen, quam in aliis diverſae naturae febribus, recta ratio ut plurimum turbatur. Actiones autem naturales, ut et varia organa ſecretioni dicata, plurimas aerumnas, eaſque graviſſimas, patiuntur: Inde naſcuntur vomitus immanis; diarrhoea biliosa, cruenta, putrida; ſudores enormes, et reipſa ſanguinei; urina rubra, craſſa, turbida, et

* Huxham on the diſſolved and putrid ſtate of the blood.

ſaepe

ſaepe ex ſanguine putreſcente admiſto revera nigricans; dum haemorrhagiae diverſae, et per exitus ſaepe inſuetos, manare notantur *. Si autem morbi definitionem, et ejuſdem hiſteriam, reſpicienus, ſatis patebit, quod ſyndrome ſymptomatum, quibus febris maligna flava conſtipatur, ad eam ab aliis febribus, quocunque nomine gaudeant, diſtinguendam ſufficiet.

Notas igitur ejuſdem Characteriſticas ob oculos habere oportet, dum ipſam febrim cum mox memorandis morbis, ut diagnoſis felicior habeatur, comparare conamur.

Febris Ardens.

VEL Synochus Galeni †, vel Continens putrida Lommii dicta ‡, et Riverii §, raro in India Occidentali, quod novi, notatur; aliquos veruntamen, inter nautas, iſta febre correptos vidi; ſed pauca putredinis indicia exhibebat: A flava verum in principio differt, ex eo quod vomitus non adeo pertinax, calor haud aeque moleſtus et ingratus, neque anxietas tam magna inveniebantur; dum pulſus fortior et durior evaſerat, et vires melius conſtabant. Ea autem, ad ſecundam ſeptimanam provecta, impetum ſenſim et paulatim remiſit; atque vel ex toto, critica haemorrhagia naſali, vel ſudore ſalutari, diſceſſit, aut in febrim intermittentem ſeſe reſolvebat. Abfuere autem ſuffuſio icterica et haemorrhagiae enormes.

* Huxham on the putrid ſtate of the blood, and on fevers.

† Charter. Galen. de different. febr. l. 1. c. 1, 2. de criſ. c. 6.

‡ Lib. 1. p. 2.

§ Praxis medica, l. 17. c. 2.

PESTIS.

VIX exſpectandum foret, ut morbum hunc vere truculentum, et in India Occidentali ignotum, cum febre flava conferremus; ſed medicus nuper Barbadoenſis *, eam peſtis ſobolem fuiſſe, aſſeruit. Fatendum quidem, peſtem nonnulla ſymptomata, cum hac febre communia, agnoſcere: Debilitas inſuper et anxietas in utroque morbo utique notantur; dum haemorrhagiae inſolitae, et per ipſam quidem cutim, in peſte contigiſſe memorantur †. Cadavera hominum peſte interfectorum inciſa, ventriculum, duodenum, veſicam felleam, bile viridi, ut et atra, repletam, et ipſum hepar mole auctum, oſtendebant ‡. Alia autem ſuperſunt indicia, quae ſatis ſuperque, ad differentiam ſtabiliendam, ſufficient. Peſtis vix niſi per contagium propagatur, haudquaquam vero febris maligna; vomitus autem non adeo conſtans, neque vehemens, ac in febre maligna notatur. Per anthraces, exteriora occupantes, in criſin fauſtam peſtis terminatur; febris autem maligna, cum infelici fere exitu, coloreni luteum per ſummam cutim diffundit. Hiſtoriam febris malignae, apud Carolinam meridionalem epidemice ſaevientis, videre eſt ‖; de qua quaedam mox depromere lubet. Morbus a Domino LINING deſcriptus, in plurimis et maximi momenti conditionibus, a noſtra febre diſcriminatur. Symptomata etenim praecipua five omnino abfuere, ſeu longe erant leviora; vomitus

* Dr. WARREN's letter to Dr. MEAD, concerning the yellow fever of Barbadoes, 1734.

† HODGES on the plague.

‡ *Traité de la peſte.* *Paris* 1744.

‖ Edinburgh phyſical eſſays, vol. II.

vix

vix ante tertiam diem vexabat, et tunc non adeo conſtans ac in febre occidentali exſtitit. Reſpiratio laboriosa, anxietas graviſſima, et ſitis inexplebilis, cum primo febris occidentalis ſtadio ſociatae, in febre depicta ingraveſcere vix conſueverunt. Pleraque tamen ultimi ſtadii phaenomena, cum noſtri morbi periodo putrida, omnino conveniſſe videntur. Sententia fuit auctoris, eum morbum, contagio peſtifero propagatum, hoc utique pacto, incolarum plures, excepta nigrorum gente, corripuiſſe. Propoſitum experientia comprobatum impugnare, urbanitati neutiquam conveniret; ſed certo certius hallucinatur ingenioſus ille medicus, dum aſſeruit, febrim conſimilem in India Occidentali epidemice graſſari. Et revera, libellum * a Domino WARREN conſcriptum perlegendo, eum in hunc errorem incidiſſe veriſimile eſt. Namque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur, quod febris noſtra primos, ex Europa ad Indiam Occidentalem emigrantes, pari ac hodie paſſu, infeſtare conſueverat; et nunquam niſi forſan apud Barbadoes, anno labentis ſeculi 180, et 330, per contagium ſeſe diſſeminabat. Ex adverſo autem, noſtra febris eſt toto coelo ſporadica; et quamvis plures corripuit, dum tempeſtas fervida et tranquilla evaſerat, nullum tamen datur anni tempus, quo advenas, et Baccho nimium litantes, non adoriatur, etſi nullum cum aliis decumbentibus commercium habuerint. Incolas, vel climati aſſuetos, nunquam affligit; neque quidem huc noviſſime appulſos, niſi temperies ſanguinea, et ſanitas ſumma, ſeminia praebuerint: Et ex repetita experientia,

* Letter to Dr. MEAD on the yellow fever,

tia,

tia, hoc axioma mihi ipſi ſtatueram; uſque adeo ut peregrinos, de hoc eventu miſerrime anxios, ſpe morbum omnino effugiendi erigere potuerim, dummodo talis iis fuiſſet habitus a ſanitatis apice ſecedens, vel morbis praegreſſis infirmatus. Dum res ſic ſe habet, in promptu eſt ratio, quare ſymptomata febris Carolinenſis, et cadaverum exploratorum phaenomena, adeo a noſtris diſcreparent. Per contagium miaſmatis putridis imbutum, vitales functiones, et potentia nervea, miro modo, ſubitoque admodum, opprimuntur, atque virtus cordis et arteriarum inſita quaſi jugulatur; ab integritate cujus ipſa inflammationis eſſentia pendere videtur: Exinde, ni fallor, orta eſt differentia inter febrium harum, ſub primo ſtadio, ſymptomata. Febris incolas, inter aegros verſantes, iiſdemve ancillantes, exceptis nigritis, indiſcriminatim adoriebatur; neque adeo latet ratio. Tempeſtatis enim hyemalis quolibet anno revolvente reditus, ſolida ſimulatque fluida quae, ſub aeſtate elapſa, enervata et colliquata fuerant, roborat et condenſat; unde, ni fallor, inter incolas albos, praediſpoſitio ad eam febrem naſcitur. Gens autem Africana, vegetabili imprimis diaeta neceſſario aſſueta, parum animali victui indulgens, et denique perſpiratione forſan uberiore gaudens, qua miaſmata contagioſa recepta facilius et abſque noxa in auras iterum diffluntur, minus longe putridis ideo morbis propinqua evadit. In India autem Occidentali, propter Solis vicinitatem, nulla tempeſtatis mutatio notabilis habetur, ſed aeſtas perpetuo fervida dominatur; qua enervati et debiles reſtant incolae, ideoque in hunc morbum minime proclives. Et denique, ut finem faciam, ex cognita hujus

morbi

morbi indole, facile praedicere poſſim, quod medicus ille ſagax plurimos in Carolina Auſtrali hac febre tentatos poſtmodum offendet, quo tempore contagii ſemina omnino deceſſerint. In aliis enim Indiae Borealis plagis, ſicuti per haſce regiones mihi iter facienti narratum eſt, vigente in autumno humiditate et fervore, ſaevit ſimilis febris; dum in culpa fuiſſe contagium, vix vel ne vix ſuſpicari licebat.

Veritati neutiquam incongrua videtur ſententia ingenioſi MacBride, Quod atmoſphaerae humiditas eatenus ad putredinem conducat, quatenus aëris fixi expendium promoveat; dum principia aquoſa, ſalina, ſimulque phlogiſtica, ſub tali coelo, per vaſa cutis et pulmonum tranſpiratoria, minore quam decuit copia in auras diffantur. Is enim aër, ſua indole ſubtilis, prompte ſatis exhalat; et principia quae ſuperſunt, abſque vinculo iis praecipuo, relinquit, eoque magis in diſſolutionem prona; quo ſeptica materies, quae excerni in ſanis ſolebat, nunc in corpore retinetur. Unde colligeretur, aëris humiditatem et putredinem, caeteris paribus, rationem ſibi invicem definitam habere. Ideo verſimile eſt, in regionibus ſylveſtribus, ſicuti in Carolina meridionali contingit, aërem humidum, et ventilatione libera orbatum, febrim malignam, ex toto putridam, et abſque ſtadio inflammatorio graſſantem, fovere poſſe. Verum, in Inſula noſtra Antigua, terra rarius quam ſit optandum imbribus humectatur; ideo febris, de qua verba fecimus, periodum inflammatoriam prius abſolvit, quam putrida labes ſeſe manifeſtat.

Febris Ergastulorum et Navium Contagiosa.

Aliquot hujus morbi casus in Nosocomio apud Antiguam nautico vidi, qui plerumque contagium pro causa agnoscebant. Symptomata eadem fere, atque a clarisſ. Pringle enumerantur, genium febris dignoscebant. Neutiquam hujus loci est, alioquin haud esset inutile, diversos contagii et putredinis insitae effectus cum se invicem comparare. A febre flava distinguitur eatenus, quod rarius in his febribus urget vomitus. Citius autem magisque vires deficiunt: Hoc enim sibi proprium contagium putridum vindicat, quod principium vitale subito, et uno quasi ictu, invadit. Haemorrhagiae raro his febribus adsunt; et nunquam, pariter ac in febre occidentali, flavedine summum corpus tingitur.

Febres Remittentes.

Propositi nostri natura requirit, ut febres Indiae Occidentalis remittentes cum febre maligna flava comparemus. Varia febrium remittentium genera quae sub nomine Ampheme-rinae *, Tritaeophiae †, et Tetartophiae ‡ veniunt, et infinitas fere species quotidianae, continuae, Hemitritaeae ‖, Tertianae §, et quidem Quartanae **, e remittentium familia petitas, et

* Sauvage Nosolog. cl. 2

† Baglivi, Prax. Med. c. 9. p. 54. et Lancis de non. palud. effluv. c. 2. epid. 2. c. 3.

‡ Sauvage, Nos. tom. 2. cl. 2. v.

‖ Hip. Coi. sect. 7. de morb. vulgar. et Hoffmannus.

§ Cleghorn, Tissot, Grainger, De Haen, Torti, &c.

** Piso et Sauvage, Nosologia.

ingenio

ingenio ſibi mutuo conſimillimas, complectuntur, in India Occidentali inter nautas praecipue obſervare eſt. Hae febres, ſive cum ſymptomatis inflammatoriis, ſive labe putrida conſociatae, aliquam affinitatem cum febre maligna, primo duntaxat intuitu, poſſidere videntur. Sed praealiis hujus claſſis generibus, Tertianae diverſa ſpecie, ſicuti ſagaciſſimus CLEGHORN eas depinxit, in India Occidentali dominantur *. Si igitur differentiam inter hoc febrium genus et febrim flavam ſtabilire poterimus, eadem argumenta, ut inter eam et febrim caſtrorum biliosam diſcrepantia eruatur, ſatis ſuperque ſufficiet; quoniam ipſe peritiſſimus PRINGLE †, febres tertianas et biliosas caſtrenſes ejuſdem prorſus indolis eſſe, decrevit, dum alii contendunt, eas pleraſque, quotquot ſint, febres imitari ‡.

IMPRIMIS igitur monendum, quod febres Tertianae, ſive ardentes fuerint, ſive demum putridae, omnes, ſive indigenas ſive peregrinos, abſque diſcrimine tentant; febris autem maligna flava non niſi advenas, eoſque ſanguine divites, corripit. Prioribus pulſus fortior eſt, atque fere durior, et vires melius conſtant. In febre maligna, natura utut turbata, quotidie fere mane, elapſis jam a principio 36 vel 40 horis, remiſſionem abſolvere conatur; quamvis iſta conamina obumbrata, anomala, et haud raro ineſficacia, fiunt: Dum remittentes tertianae, quibuſlibet horis diurnis, prout typo congruat, remiſſionem pariter ac matutinis emoliri conſueverunt. Praeterea, cum aegrotantibus complurimis diverſa febrium

* CLEGHORN. † Army diſeaſes, ed. 4.
‡ BONT. med. Indor. l. 44.

putridarum ſpecie in Noſocomio nautico decumbentibus intereſſem, et typos harum febrium attente perpenderem, febres tertianas videbam, quae filo quaſi continuo abſque ulla remiſſione, per binos ternoſve dies, progrediebantur; ſed retuſo harum impetu, et abjecta continuae larva, ſenſim in remiſſionem vergebant, et plenam tandem intermiſſionem impetrabant. Hic etiam monere licet, quod aegri, febre flava correpti, deliriis validis non adeo opportuni ſunt, ac hi quos febres bilioſae tenent. Ac denique febres bilioſae, liquidi vitalis, per ſanguinis miſſionem, diſpendium facile ferunt, et equidem haud raro poſcunt; dum res ſe aliter habet in febre flava. Sed ex habitu corporis diverſo facilius a ſe invicem diſcriminantur. Si exempli gratia, peregrini bini, habitu ab invicem diverſo gaudentes, in iſtam regionem eodem puncto temporis appulerint, et utervis horum, ex qualibet intemperantia, morbo acuto anſam praebuerit, facile praedicere potuerim, quod genus febris aggredientis pro ratione habitus diverſi contingeret; id eſt, homo robuſtus, plethoricus, et antea integerrima ſanitate potitus, in febrim flavam incideret; dum huic vero ſocius, in eodem vitae genere verſatus, iiſdem rebus non-naturalibus abutens, ſed propter temperiem diverſam, ſive a natura ſive a morbis praegreſſis hauſtam, apicem ſanitatis non attingens; is, inquam, climati hoc pacto quodammodo quaſi aſſimilatus, febre remittente vel intermittente certo certius fere decumberet. Neque ex hypotheſi eruitur haec ſententia, ſed per repetitam experientiam confirmata fuit. Advertere inſuper lubet, quod, in febre tertiana remittente, vomitus, quam in febre flava, longe mitior eſt; et bilis ſincera,

atque

atque magna quidem copia, poſt primos ad vomendum conatus, rejicitur: Dum in febre maligna, rarius, et ſaltem non niſi poſt diuturnos vomendi labores exantlatos, ſurſum prorumpit. In utraque febrium ſpecie, viſcera abdominis plerumque paenas luunt; hepar fere ſemper in febre maligna male ſe habet, et revera pro ſigno febris pathognomonico creberrime perquirenti ſe offert. Neque ſemper deſunt notae inflammationis in febribus remittentibus et tertianis: Sed a noſtra febre id diſcriminis habent, quod affectiones viſcerum, in febre maligna, cum morbo ipſo connatae eſſe videntur, et ſaepe in gangraenam vergunt; dum obſtructiones, ex febribus tertianis natae, morbi diuturnioris, et medelae male inſtitutae, plerumque ſunt ſoboles, atque malis inſecuturis chronicis fontem potius aperiunt. Ex hac conditione igitur, diagnoſis inter iſtos morbos haud raro rata habetur. Etenim in febre maligna, inflammationis ſymptomata ſub ipſo morbi initio ſe produnt: In febre remittente, ſed imprimis tertiana, vix vel ne vix, niſi poſt ſecundam vel tertiam revolutionem, talia ſymptomata occurrunt. Quatenus utriuſque morbi exitum ſpectat, in anguſtiis vix magis verſamur, dum harum differentiam ſtatuere conamur. Quoniam, licet, poſt febres remittentes et tertianas ſuſtentatas, aliquando icterico colore ſuffundatur cutis; ſicuti peritus CLEGHORN notavit, et ipſe vidi: Color tamen luteus eſt iis levior; neque morbus haemorrhagiis, ut plurimum, conſtipatur.

Si igitur hae febres, quas inter ſe conferendas ſuſcepi, ejuſdem omnino generis fuerint, quomodo fit, ut typum adeo diverſum conſervarent? Febris enim maligna flava mores pariter ac periodos

odos remiſſionis, ab tertianis toto coelo diſcrepantes, ſibi adſciſcit; quod vix, ni fallor, fieri poſſit, niſi diverſas cauſas, diverſumque genium agnoverit. Attamen inficias ire nequeo, aliquam inter hos morbos relationem obtinere; ex eo quod nonnulla ſymptomata, utriſque communia, et a putredine oborta, manifeſtant. Sed quum, ut arbitror, febri malignae flavae diatheſis inflammatoria, cum ſemitio putrido intus evoluto conſpirans, ortum praebet; dum, ex adverſo, bilis acrimonia, viſcerumque chylopoeticorum debilitas, febri caſtrenſi, itemque tertianis, anſam concedunt; vix a me impetrare poſſum, quin exiſtimem, earundem naturam, pariterque medelam, aliquid diverſi in ſeſe continere.

De magna peritia et quidem ſolertia medicorum militarium, qui, apud Martinicam, aegrotantium curam ſuſceperant, ne minimum dubii mihi reſtat: Sed quoniam, poſt 15 annorum praxin, dum quam plurimis hoc morbo tentatis interfueram, clare mihi conſtabat, febres memoratas a maligna multum diſcrepare; lubenter inde concluderem, quod peritus et ingenioſus Hucк, ſi diutius in eo climate commoratus eſſet, diſcrimen inter hos morbos ſatis dignoſcendum ex propria experientia aſſignaſſet.

An probabile eſt, febrim putridam flavam, per juſtam et felicem medelam, ita jugulari poſſe, ut ſtadium putridum anteverteretur, et, ex tempeſtivis adhibitis remediis, haec eadem ſpeciem febris intermittentis ſibimet tandem vindicaret, et medelae prorſus eidem auſcultaret? Poſſibile.

Sed quamvis nonnulli cogitaverint, febrim, de qua ſermo eſt, typum intermittentem non raro aſſumere; fateor tamen, quod hujus ſententiae veritas,

veritas, ex propria experientia, ne vel ſemel fuit confirmata. De hac re igitur, palam, ac eo quo decet candore, ſententiam noſtram interponere nobis liceat. Quando, ineunte anno 1754, curam Noſocomii nautici apud Antiguam ſuſceperam, mihi fortuna fuit, ut febres cujuſvis fere ſpeciei putridas, inter aegros graſſantes, ſimul et ſemel offenderem. Et confiteor equidem, quod tertianas remittentes cum febre flava, propter utrarumque ſub primo ingreſſu cum ſe invicem concinnitatem, confundere non raro ſolenne fuit; quamvis aliquot antea annis, incolas quamplurimos, febre tertiana decumbentes, inviſeram. Diagnoſin legitimam horum morborum inſtituendo deceptus eram, et infelix fuit pariter medela, cum interea ſanguinem indiſcriminatim detraherem, et iis, qui febre flava laborabant, portiones antimonialium largiuſculas propinarem, perinde ac aliis quos febris bilioſa tenebat. Ex conſilio vero quod a medico perito deprompſeram, et ex propria ſimul experientia edoctus, ut ſigna diagnoſtica ſatis facile decernerem, plerumque mihi fuit conceſſum; nunquam vero ea prorſus fiducia, quin prima fronte nonnunquam in errorem inciderem. Praeter indicia diſcriminantia jam memorata, aliud revera pathognomonicum raro me fefellit; nempe, tenſio hypochondriorum, et dolor ſub premente manu cum ſenſu ponderis ad ſcrobiculum cordis ſatis moleſtus. Id ſymptoma in febribus tertianis, ubi viſcera inflammantur, non raro ſeſe manifeſtat; ſed tunc adulto morbo ſaepius ſupervenit. Si igitur liceret ut urbanitate ſalva ſuſpicaremur, medicos peritiſſimos, inter turbas aegrotantium quotidie tumultuantes, parum temporis ſibi conceſſiſſe, quo morbi naturam indagarent,

indagarent, facile concipi poteſt, quomodo febris bilioſa feliciter tractata, prout febris maligna flava, in herba quaſi jugulata, videretur. Ex eo forte orta eſt opinio quam Theſis Inauguralis olim exhibuit *, nempe febrim malignam flavam in febrim intermittentem non raro terminari. Sed quanto in errore, ſuper hoc negotio, per ſe ſatis fallaci, verſari poſſint homines alioquin in morbo tractando non rudes, exemplum ſequens monſtrabit.

Dum in febre flava tractanda plurimum occupatus eram, et, proh dolor! plerumque infelici cum ſucceſſu, ex chirurgis in navibus praeſidiariis nonnullis, de genio febrium quae inter nautas ſint frequentiores multa percontatus, ſatis admirabar, cum audirem quod ex ducentis vel trecentis, febre maligna laborantibus, omnes fere convaluerant. Sed cum de ſymptomatis morbi dominantis perquiſiveram, et vomitum bilioſum pro malignitatis ſigno pathognomonico tantummodo fere habitum fuiſſe didiceram, morbi naturam homines in re medica non imperitos fefelliſſe ſuſpicatus ſum.

Signa haec eadem diſcriminantia, quae remittentes a flava febre ſegregant, ad intermittentes jure reportari poſſunt.

Febris Nervosa.

Quamvis febris maligna flava, cum ſymptomatis bene multis, ab affectione generis nervoſi oriundis, conſtipatur; attamen temperiei gradus, pulſus vigor, aliorumque ſymptomatum vehementia, ad morbos hos, adeo ab invicem diverſos,

* Multrie, p. 8. & 9.

diverſos, in ipſis primordiis diſtinguendos, ſatis ſuperque ſufficient.

Icterus.

CUM febre maligna eo uſque conſentit, quod utrique communis eſt ſuffuſio corporis lutea; et, quum ab inflammatione hepatis icterus, interdum, ſed rarius, ortum duxiſſe cenſeatur, altera naſcitur conditio, qua primo intuitu conſentire videntur. Praeterea, vomitus pertinax, anxietas ſatis moleſta, et dolor circa hepatis regionem acutiſſimus, et revera levior inflammatio, quae haud raro a calculo ductus biliarios obturante proveniunt, ſimilitudinis ſpeciem inter hos morbos inſignem prima fronte concedit; at, in plurimis, longe ab invicem diſcriminantur. Icterus rariſſime in hepatitide comes vel pediſſequus accedit: Sed ſi id contigerit, ſumma debilitas cum maligna febre conſociata, nec non phaenomena valde putrida, quae flavedinem conceptam comitantur, vel ſequuntur, differentiam, ſatis inſignem, inter hos morbos conſtituunt. Si ex ductibus biliariis, calculo interceptis, oriatur icterus, ſymptomatis quae adſint acutis, ſaluti eſt flavedo ſummum corpus conſpurcans: Vix vero tale in febre maligna compertum habemus. Et denique, ſi recenſita non adeo hiſce morbis ab invicem ſecernendis paria viderentur, haemorrhagiae diverſae eo propoſito ſatis ſufficient.

CAUSAE FEBRIS MALIGNAE FLAVAE.

Temperamentum.

PEREGRINI, ſanguine divite, denſo, repleti, et antea firma ſanitate gaudentes, plerumque huic morbo ſunt obnoxii. Hi corporis habitum, coelo

coelo fervido occidentali omnino parum idoneum, ſecum adferunt. Vaſa cutis, inprimis, nimis ſunt rigida; ſanguis denſus oleoſis particulis ſcatet; "Rubrae portionis exceſſus," inquit GAUBIUS, "cum phlogiſton in ſanguine abundans, "quavis occaſione, nociva caloris augmenta, "immodicas expanſiones, inflammationes, &c. "creat *." "Calor atmoſphaerae nocet plethoricis, bilioſis, calidis, ſiccis, in haemorrhagias "pronis, irritabilibus †." Longe a tali temperie diſtant corpora indigenorum, vel eorum qui diuturna in iſta regione commoratione climati aſſueſcunt. Solida iis laxa ſunt et infirma; patula admodum ſunt cutis ſpiracula; minuitur globulorum rubrorum proportio; et tota humorum maſſa dotes acquirit, ab inflammatoria diatheſi prorſus alienas. Qui igitur in hanc regionem appellunt advenae, omnes conditiones, ad ſeminia febris malignae fovenda paratas, in ſe poſſident.

ATMOSPHAERAE TEMPERIES.

SEMINIA hujus morbi, quae in corpore latitant, a cauſis extrinſecus allatis foventur. Quaedam ideo de ATMOSPHAERAE in India Occidentali temperie praemittere lubet; ut inde appareat, quomodo vitia, pedetentim in corpore nata, data occaſione, ad hunc morbum procreandum conducere queant. Quamvis nonnullis viſum eſt, hujus morbi cauſas nonnullas, denſis

* Pathologia p. 110.

† Id. 137. Experimenta eo propoſito inſtituta oſtendunt, calorem corporis in peregrinis per thermometrum menſuratum, tribus circiter vel 4 gradibus, temperiem in Europaeis climati aſſuetis, ſuperare. Vide TITSING obſervat. de Inſula Curaſoa, p. 381.

tenebris

tenebris involutas, haerere; minime tamen latent omnes. Obſervatio enim ſedula nos edocuit, frequentiam hujus morbi, et ejuſdem malignitatem, a natura tempeſtatis praegreſſae plurimum pendere. Namque, in autumno anni quinquageſimi quarti labentis ſaeculi, febris putrida flava, inter nautas et milites, nuperrime ex Anglia conſcriptos, ſaeviebat. Nebuloſa, tranquilla, et ferviditſima fuit tempeſtas praegreſſa; adeo ut inde ad nonageſimum uſque gradum evectus eſſet in thermoſcopio mercurius. Praeterea venti aura, quae fuit profecto minima, ab occaſu et auſtro ſpirans, ad aeris ſtagnationem et inquinationem plurimum contulit. E terra porro ipſa ſurgebant quotidie vapores humidi, qui, donec a radiis ſolaribus diſperſi, ejus ſuperficiem involvebant, et particulis nocivis atmoſphaeram, jam corruptam, inquinabant.

Inde cum ſpiranteis miſtas hinc ducimus auras *.

A tali coelo pullulare peſſimos morbos putridos epidemicos, ab omni aevo notarunt medici †; ut ab eiſdem cauſis et ipſius peſtis originem deducere non vereatur clariſſ. MEAD ‡. Inquinamenta talia etiam corpus ſubeunt; et ſanguis ipſe a calore nimio multum vitiatur; neque minus omnes ab illo fonte derivati humores. Hoc olim obſervavit, fidus naturae interpres,

* LUCRET. lib. vi.

† HIPPOCR. § 3. aph. 21. GALEN. method. med. lib. iii. cap. 8.

‡ De peſte, cap. I.

HIPPOCRATES; et talem adeo tempeſtatem mulieribus, humidis, pituitoſis, fauſtam fore ponit; ſiccis vero et bilioſis inimicam *. Quantum ad generis humani ſalutem venti conferant, probe jam medicis notum. Aër enimvero, quatenus ab univerſa corporum congerie in ſublime raptis ſcatet particulis, plurima venenata in ſe continet; quae nunquam morbis praebuiſſe originem, vix ullus affirmare audeat. Haec malorum ſeminia venti benigno ſuo afflatu diſſipant, quominus hominum ſaluti ulterius inſidiari queant. Aër ipſe impurus fit, et fracidus; itemque, ex repetito pulmonum uſu et reſpiratione, vitae ſuſtentandae ineptus evadit. Si vero experimentis et doctrinae ingenioſi MACBRIDE † fidendum eſt, haec ineptitudo ex eo fieri poteſt, quod fortaſſe aër fixus, per cutis ſpiracula, maxime vero ex pulmone, diffiatus, non niſi aëris quodammodo puri, et hiſce particulis imbuti, renovatione, amoliri queat. Huic malo remedium dat perpetuus vitalis pabuli, ventorum ope, refectus.

SUB coelo igitur tunc temporis pollente, non ſolum tranquillus ſtagnanſque aër peſſima quaeque minitatur, ſed fervidiſſimo Sole icta ſunt corpora humana. Effectus, quo pollent venti in morbis putridis, ſive augendis, ſive fugandis, exemplum habetur luculentum ‡. Febres enim

* De aëre, aquis, et locis. HIPPOCRATES putridos morbos inter aeſtivos enumeravit. aph. 21. § 3. Experimentum BOERHAAVII in canem, intra hypocauſtum occluſum, effectum caloris pulchre demonſtrat. BOERHAAV. chem. tom. II.

† MACBRIDE's Eſſays.

‡ Dr. WHYTT's pathological lectures. And Edinburgh Phyſical Eſſays, vol. II.

putridae

putridae malignae in Carolina Meridionali plurimum dominantur, dum ab auſtro vel occaſu diu ſpirant venti; atque, tunc temporis, funeſtiſſima acutie dicti graſſantur morbi. Sed ſi, bona fortuna, ventus, ſubito mutatus, ex boreali flaret regione, aegrotantes, ſumma anxietate et debilitate antea oppreſſi, nunc ſubito eriguntur, et ex faucibus Orci quaſi rapiuntur. Fatendum autem, quod rarius in noſtra Inſula Antigua, quam ob ejus ad Solem vicinitatem exſpectari potuiſſet, contingunt morbi epidemici putridi. A crebra ex mari ventilatione, atque ſylvarum et arbuſtorum abſentia, devenit fortaſſe haec exemptio. Quantum autem fervor Indiae Occidentalis perpetuus, ſeorſim ab aliis aëris conditionibus perpenſus, conferre poſſet, facile concipere licebit; ſi nobiſcum reputemus, quod nulla fere in iſta regione datur anni tempeſtas, quando calor atmoſphaericus, ad mercurium in gradum 80. FARRENHEITII evehendum, non ſufficiat. Sanguis idcirco eorum, qui a climate ſeptentrionali, intra duas treſve ſeptimanas, fuere tranſlati, inſignem admodum mutationem ſubit. Is enimvero, per frigus boreale condenſatus, et per vaſa corporis interiora tunc ut plurimum circumactus, nunc autem quatenus molem ſpectat expanſus, et vaſa exteriora uberius petens, ut poſtea fuſius demonſtrare conabimur, tam inflammationis, quam putredinis, ſeminia procreabit. De effectibus nimii caloris ita monuit clariſſ. GAUB. "Ex rarefactione, augmentum voluminis, et majus quidem "in fluidis quam ſolidis, unde plenitudo vaſorum et turgor, et multiplex humorum aberratio; diſſipata parte tenuiore, craſſamenti fit "inſpiſſatio, immeabilitas, diatheſis inflammato-

"ria, atrabilaria, ſolidi exſiccatio, obſtructio *." Sequelas itidem alias atque alias ab hoc fonte profluentes memoravit. "Salinae et oleoſae de-"mum materiae agitatio, major attenuatio, evo-"lutio, ad putredinem et rancorem diſpoſitio, "alcaleſcens, amarum, aduſtum, foetidum, fla-"vum, fuſcum, nigricans, inducit; atque hinc "oriundas febres bilioſas putridas, ardentes, ma-"lignas, morboſque acutos calidos, multivaria "generis nervoſi laeſione ſtipatos †."

QUODCUNQUE autem atmoſphaera Indica, aeſtu magno, et interdum ſimul humiditate, ſeminia malignae febris refovendo efficere poteſt; id, in morbo producendo, et acuendo, procul dubio abſolvet. Calor enim nimius molem humorum adauget, plethoram ad vaſa temporaneam inducit, attritum inter fluida et vaſa, ſimulque calorem corpori inſitum, intendit ‡, motuſque humorum, tam progreſſivos quam inteſtinos, incitat. Sales inde evolvuntur et multiplicantur; olea acriora redduntur et corrumpuntur; partes humorum liquidiſſimae diſſlantur; quae ſuperſunt coguntur; et ad inflammationem primo, dein ad putredinem infeſtiſſimam concitandam, confeſtim diſponuntur. An calor in corpus particularum igniferarum introductione agit? Probabile! An miaſmata aëri diſſeminata, et quae non ſenſibus patent, pro cauſa evadunt? Ambigitur! Sed quoniam, ut opinor, ſatis ab atmoſphaera ||, quatenus ſenſibus innoteſcit, in hanc

* Pathol. ſect. 423.
† GAUB. Pathol. ſect. 423. N° 70.
‡ TITSING, Obſervat. p. 381.
|| Vid. WINTRINGHAM. Comment. Noſologic. p. 40. & 52. et Quaeſtiones paginae annexas.

febrim

febrim praedisponatur corpus, ad occultas aëris qualitates perfugere non est opus. An per contagium morbus in nervum erumpere sollicitatur? Rarissime! Quamvis enim unicum tantummodo, quod scio, datur exemplum, quo monstretur, hominum cadavera, hoc morbo extinctorum, summa sua putredine aërem inquinare posse; diversum tamen morbum, neque febri malignae a clariss. PRINGLE depictae * absimilem, produxisse videatur; sicuti semel in Nosocomio nautico, apud Antiguam, fuit observatum: Sed neque flavedine imbutum fuit corpus, neque haemorrhagiis constipata febris. Ideoque cum nupero scriptore † consentire nequeo, morbum nostrum ab India Orientali, per viam Martinicae, sub mercibus onerariis fuisse derivatum; neque credo ejus semina potuisse tamdiu latitare, aut cum peste quicquam commune habere. Enimvero haec subito et funeste propagatur contagio: Illa autem incolas nunquam occupat; eos utique infestat, quos

vides etiam coeli novitate et aquarum
Tentari, procul a patria quicunque domoque
Advenium; ideo quia longe discrepat aër ‡.

SED aliae accedunt causae occasionales. Insolatio et exercitium sub aestuante Sole immodicum humores oleosos, in cellulis stagnantes, eliquat, et in massam circulantem rapit; unde plethora oleosa pessima inducitur, augmentum nativi caloris enorme accenditur, jactura humorum te-

* Jail fever, p. 297. ed. 4to.
† Dr. WARREN.
‡ LUCRET. lib. 6.

nuiorum

nuiorum promovetur, et indoles inflammatoria ſero, et parti ſanguinis fibroſae, conciliatur. Humores ergo adeo exagitati, rarefacti, et immani impetu propulſi, vaſa iiſdem aliena ſubeunt, diſtrahunt, et haud raro diſrumpunt; unde "Errores loci, "dolor, inflammatio, febris acuta, gangraena, "ſuppuratio, haemorrhagia, aut, vitalibus viſce-"ribus ſanguine accumulato obrutis, ſuffocatio "et mors ſubitanea *."

QUOD ad victum ſpectat, quatenus cauſas ſive praediſponentes ſive procatarcticas praebuerit, in paucis monuiſſe ſufficiat; quod cibus ex animalibus imprimis petitus, utpote naturae putreſcenti propinquior, et caro ſalita, propter ſtimulum quo gaudet, quoque motum humorum intendit, haud parum ad ſeminia morbi tam procreanda quam evolvenda contribuant. Interim attamen fatendum, quod nonnullos novi peregrinos, quos meticuloſa cujuſvis exceſſus evitatio a morbo hoc ſaeviſſimo immunes praeſtare non par erat. Haud vero negandum, quod diaeta quam decuit lautior, et imprimis animalis, ſaepenumero anſam huic febri conceſſerit.

POCULA frigida, aeſtuante corpore temere aſſumpta, cauſam occaſionalem haud infrequentem concedunt.

SED pro cauſa ſaepius accedit ſpirituum fermentatorum abuſus: Ex eo fit, quod nautae miſeri, improvidi, poſt nimium Bacchi interdiu indulgentiam, ſub dio noctem degentes, roris uberioris humiditati exponuntur; ideoque incuriae et intemperantiae ſaepe ſupplicium hauriunt. Humores enim ſubito, et immani velocitate, ſtimu-

* GAUB. Pathol. ſect. 509.

li ope, per ſpirituoſa nati, circumaguntur; dum, impedita ſimul per humiditatem nocturnam perſpiratione, tenuiores humorum particulae retinentur, quas, utpote per acrimoniam ineptas, expellere natura molitur. Sanguis inde et humores reliqui magis coguntur, et in vaſis diverſis remorantur; hinc ideo ſtagnatio, ſicut et accumulatio, quae inflammationis et putredinis fomitem brevi adaugent. Similem cauſam hepatitidis in India Occidentali crebrioris aſſignavit BONTIUS *. Cauſa proxima febris Orientalis, quam memoravit Auctor, cuni ea quae in maligna febre dominatur, toto coelo congruit, dum ille graphice admodum nautarum inebriatorum mores depinxit.

MORBI INGENIUM.

DUM morborum indolem inveſtigare conantur medici, haud raro, propter naturam ejus abditam et inſcrutabilem, de cauſa proxima graviter errarunt. Summa itaque verecundia de hac re omnino ſtatuendum. Febris maligna in duo ſtadia, ni fallor, ab invicem diverſa, diſtingui debet. Veriſimile item videtur, quod, ingruente morbo, hepar et viſcera quaedam vicina inflammationis ardoribus occupantur. Plurima enim adſunt ſymptomata, affectionibus hujus generis haud aliena, dum explorato cadavere phaenomena ſatis teſtantur, hancce febrim, in hepar imprimis, et haud raro in ventriculum, vim ſuam malignam invehere. Notavi, inſuper, quod, quo magis aegroti plethorici fuerunt, eo citius inflammatio hepatis invadebat, et ſymptomata pari paſſu ſaeviora ingruebant;

* BONT. Medicin. Indor.

girebant, dum iis, in quibus, sub larva benignitatis insidiosa, febris sese prodiderat, eadem longe mitiora deveniebant; haec autem subdole quasi in stadium putridum tunc translibat. Aliquis occurrat huic nostrae sententiae, quae stadium ut plurimum inflammatorium ponit; quoniam, quod haec febris toto coelo putrida sit, hactenus disjudicatum est. Sed, ut melius intelligatur hujus opinionis ratio, monere liceat, quod, in Zona Torrida, indigenis pariter ac advenis, humores versus corporis peripheriam solito copiosius derivantur; unde vasa exteriora, magis quam in regionibus borealibus, implentur. Sani etenim incolae sudore fere assiduo irrorantur, et morbi plerique acuti per sudorem saepenumero judicantur. Liquidoque patet, naturam in iis regionibus excretionem per cutis spiracula praecipuam affectare. Quandocunque igitur peregrini, sive juvenes sint, sive adulti et athletici, atque sanguine divites, huc appellunt; iis oeconomia corporis universi, sed imprimis excretionum, multum mutatur. Veruntamen emunctoria cutis, propter compagem corporis firmiorem, et volumen sanguinis aestu rarefactum, ad humores, uberiore copia huc derivatos, simul et semel sese accommodare nequeunt; et iisdem rapide impulsis aegerrime cedentia, quo minus particulae ineptae diffletur, impediunt; alvus insuper talibus haud raro aegre respondet, nec urina copiosius exit. Perturbatis igitur secretionibus corporis praecipuis, si perspiratio cutanea, mala fortuna, ex qualibet causa, interea penitus cohibeatur, humores supervacanei, et revera nocivi, versus intestina vel renes illico ruunt, ubi, si nec diarrhoea salutari, nec urina copiosa, sibi exitum vindicaverint, in hepar et vicina viscera non raro

se

ſe recipiunt, et copia, haud minus quam acrimonia iis inſita, functiones eorum perturbant, itemque inflammationem, anxietatem, febrim acutiſſimam, et aerumnas alias in hiſtoria recenſitas, accendunt. Mihi igitur, cum haec accurate trutinor, omnino videtur, ſeminia putredinis, ſub conditionibus quae peregrinatoribus in regione auſtrali ſatis familiares ſunt, ſenſim pullulare, et ante conceptum morbum in corpore latitare, donec, nata cauſa remotiore idonea, in nervum tandem erumpant, et ſuo ſtimulo vim cordis contractilem, vaſorumque minimorum motum oſcillatorium, exſuſcitent, inſuperque ad ſymptomata inflammatoria augenda plurimum conducant. Ita, ni fallor, enaſcitur ſtadium inflammatorium. Effectus, ex tali ſtadio profluentes, ab iis longe diſcrepant, qui in morbis inflammatoriis puris et exquiſitis occurrunt. Namque ſanguis ſub his malis elicitus eo denſior evadit, quo magis in vetuſtatem morbus creverit: In morbo autem de quo agimus, fervor febrilis atque motus inteſtinus adauctus humores in liquamen putridum ſolvunt. Hujus tamen diſcriminis ratio ſatis patet; et ex his diverſis adeo inflammationis veſtigiis, rite indagatis, diagnoſis, prognoſis, et medela proſpera, toto coelo pendere videntur. Ex dictis denique facile concipi poteſt, quam diverſi ſint gradus, et quam variae complicationes, inflammationis et putredinis, in morbis febrilibus, quae ſummam medici ſolertiam depoſcunt, antequam morbo ſanando incubuerit. Sed primum ſtadium alterum brevi excipit. Acrimonia enim putrida, quae blandis humoribus obvoluta nuper fuerat, potentiam ſuam ſepticam feſtinis pedibus exercet; cui ſin auxilium accedunt, febris acuta, et attri-

tus inter fluida et vasa, quam maxime inde adauctus. "Putredo, concitato motu intestino, "aqueum, salinum, phlogiston agitat, de terrae "interstitiis evolvit, ut hinc cohaesio minuatur *."

"Humores ipsi ad putredinem proclivitatem "habent, atque materiem dant acria ingesta, se"cretiones pravae, excrementorum suppressa e"jectio; Nata haec acrimonia vitae infestissima "humores dissolvit, ad nutriendum ineptum red"dit, pingue eliquat, et rancore inficit, solida ir"ritat, erodit, labefacit; hinc febres acutas, in"flammationes, exanthemata, gangraenas, spha"celos, circulationis, secretionis, excretionis, "omniumque functionum turbas creat, saepe "nec natura nec arte superandas †." Per acritudinem igitur sanguinis putridam, mutua globulorum cohaesio minuitur, et cruor in laticem tenuem solvitur. Confestim vasa, partim propter coeli aestum, partim quoque ob mutationem morbidam humoribus inductam, nunc laxantur et debilitantur. Hinc humores, errore loci per universum vasorum systema circumvagantes, in vasculis sibi dicatis contineri nequeunt, sed in cellulis cutis effunduntur: Crassamentum, in putridum liquamen solutum, in vasa cutis exilissima, lymphae tenuiori vulgo pervia, ruit, et superficiem corporis colore suo luteo tingit. Namque clarissimus Pringle ‡ monstravit, serum paucis globulis rubris commistum, et putredini diu expositum, in colorem flavo-viridem fuisse mutatum: Et exinde verisimillimum videtur, quod,

* Gaub. Pathol. p. 45.

† Idem

‡ Army Diseases, appendix, experiment 43.

in

In febre maligna, color fuſco-luteus, quo tingitur corporis ſuperficies, ex aliqua parte ſaltem ab hac cauſa pendeat. Hanc opinionem confirmant, ecchymoſios color luteus ex ſtagnantibus ſub cute humoribus obortus, et ſqualidus ſcorbuticorum aſpectus ad flavedinem aliquantum accedens, quotieſcunque morbus in vetuſtatem creverit. Sed nonnulli medici aſſeruerunt, humores in vivis nunquam in ſtatum omnino putridum degenerare poſſe; Reclamat vero experientia. Proſtant enim exempla quae ſatis oſtendunt, etiam viventes haudquaquam putredine graviore interdum vacare. Inter alia ejuſdem generis exempla, caſum noſtro propoſito ſatis appoſitum enarravit clariſſimus HUXHAM *.

PERITISSIMUS ille Medicus PRINGLE, merito, ni fallor, perſpirationem cohibitam, prout cauſam putredinis praecipuam, aſſignavit: Idemque jure monuit, quod motus humorum circulatorius ex ſeipſo minime par eſſet, qui putredini obſtaret; ſed hunc in ſcopum tantum conferret, quantum particulas volatiles et ineptas expellendo conduceret.

SED alia cauſa flavam cutis tincturam promovet. Nonnulli ideo bilem putridam prout cauſam proximam agnoverunt. Concedo equidem, quod hocce fluidum, in putredinem pronum, in eundem caſum conjuret; minime vero, quod ex eo primaria cauſa cenſeri debeat. Plurimi enim morbi indigenas ſollicitant, ubi ſumma bilis acritudo ſeſe manifeſtat. Eos enim haud raro corripiunt cholera laeviſſima, febres putridae bilioſae, quibus bilis, per criſin imperfectam, interdum peri-

* On Fevers.

pheriam corporis petit; neque in autumno abeſt dyſenteria biliosa putrida: Sed ne vel unicum habetur exemplum, ubi vel indigenae, vel climati diuturna mora aſſueti, febrim malignam flavam unquam perpeſſi fuerunt. In ſuffuſionem utique luteam bilis haud parum contribuit, quae, per calorem acerrima, propter turbam in oeconomia hepatis concitatam, majore ſolito copia forſan ſecernitur. Haec, intra vaſa demiſſa, morbum vehementer acuit; et ſanguinem in colluviem putreſcentem, extra vaſa vagantem, ulterius fundit. Doctrinae noſtrae, quae in eodem morbo accendendo putredinem et diatheſin inflammatoriam ſimul revinxit, experientia non repugnat. Clariſſimus enim HUXHAM obſervavit, acrimoniam ſanguinis putridam, ſolidorum rigiditatem, humorumque diatheſin inflammatoriam, non raro fuiſſe conſociatam. Exempla idcirco protulit de pleuropneumonia quae homines obſederat, in quibus acrimonia humorum putrida plane praevalebat *. Monuit quoque CELSUS, febrim acutam, delirium, et ſitim ſummam, gangraenam interdum comitari †. Celeberrimus SAUVAGE peſtem ipſam inter morbos inflammatorios numerare non dubitavit: Et ipſe teſtis oculatus memoravit, peſtem apud Aleſiam hujuſmodi generis fuiſſe; "Morbus ille eſt inflammatorius; quod indicant ardor, ſitis, rubedo; ſed a materia maligna naturae conatus ſuffocantur, ejuſque vires oppreſſae ſunt initio, non exhauſtae ‡." Et peſtis Maſſilienſis omnes fere aegros cum ſignis

* Eſſay on fevers, p. 86.
† Lib. v. cap. 26.
‡ Noſologia, tom. II. p. 365.

inflamma-

inflammationis gangraenosae in cerebro et pulmone eripiebat *.

„ Omne acre irritans stimulo suo inflammationem in toto corpore, vel in parte quadam, facere posse docent certissima observata. Hinc et putridum natum, sua acrimonia, inflammationem in corpore facere potest. Sed et praeterea, dissoluti per putredinem humores aliena vasa intrant, et saepe per illorum angustias ultimas transire non possunt †. „ „ Est et aliquando acrimonia comes, quandoque pedissequa, tenacitatis ‡. „

Facile igitur concipere possumus, quam varii morborum gradus, et quam diversae symptomatum species, ex hisce solidorum fluidorumque conditionibus, varie combinatis, provenire possint. Ex dictis igitur colligere liceat, quod inter inflammationem et gradum putredinis definitum non disconvenit; praesertim si simul reputemus, septum inter febrem ardentem et putridam adeo angustum esse, ut haec in illam facillime vergat, dummodo morbus vehemens, vel medela infelicior evaserit. Praeterea, si naturae molimina, dum morbos sanare conatur, intueamur, eam mutationes a putredine vix alienas promovere confitebimur. Quid, quaeso, est resolutio febris inflammatoria benigna, nisi particularum morbificarum solutio, earumque nova combinatio, sanitati quam maxime congrua? Quid concoctio, et terminatio critica, nisi resolutio materiae morbidae semiputrida, quae, utpote inutilis et reviviscens nociva, e corpore amandatur? Suppuratio est

* Nosolog. p. 364
† Van Swiet. comment. tom. I. p. 134.
‡ Boerh. Instit. § 785.

opus

opus naturae mirum et perquam benignum; attamen ex resolutione quasi septica, et ex novo principiorum congressu, confici videtur. Et eo probabilior est opinio jam allata; quoniam naturae conamina, ad morbos fugandos enormia, plerumque in putredinem vergunt. Inflammatio denique topica, si, prae magnitudine morbi, nec resolvi, neque in pus maturari potest, illico in gangraenam transibit, quae summum putredinis gradum constituet.

Neque hic loci alienum erit, sententiam clariss. Professoris Monro, Filii, de hujus febris ingenio, sicut eam, anno hujus seculi sexagesimo quarto, Praelectionibus suis in medium protulit, dum de variis Icteri causis tractandi occasio fuit, commodissimis quibus potero verbis enunciare. "Suffusionem nempe biliosam ex spasmis febrilibus, aliisve causis quibuslibet spasmodicis, multo rarius quam plerique scriptores voluerunt, ortum duxisse. Namque aegrotantes, in febribus ubi cutis flavedo saepissime sese manifestat; e. g. in febre Indiae Occidentalis flava, bilem sursum et deorsum uberius ejicere fuisse consuetos. Ex quo plane constaret, nullum obstaculum in ductibus biliariis haerere, sed colorem potius aurigino-sum a bile, majore solito copia secreta, iterumque resorpta, suam habere scaturiginem. Et id ex eo forte evenire, quod materies morbosa febrim accendens; determinatione quasi peculiari, prae aliis corporis organis, hepar adoriatur; eadem forte lege, qua materies variolis et morbillis propria, summum corpus occupat, aut alia ista contagionis species quae, intestina versus divergens, dysenteriam producit. Ex his concludere licere, quod tantum absit, ut flavedo prout

indicium

indicium ſalutare, ideoque non turbandum, cenſeri debeat, ſicuti Dom. Town aliiſque placuit, ut, e contra, hoc ſymptoma quatenus ſumme nocivum haberi oporteat; quoniam, uti videtur, hepar, materie peccante ſollicitatum, bilem quam in ſanis longe acriorem ſecernere. Uti mala igitur ex hoc fonte profluentia avertantur, eccoproticis lenioribus materiem acrem ex inteſtinis amandare, demulcentibus eorundem compagem munire, quam maxime convenire. Porro, quoniam natura hanc excretionem in febre maligna indicaſſe videatur, acida lenia, pariterque aceſcentia, praeter potentiam antiſepticam qua gaudeant, hinc etiam eatenus plurimum valere, quod, quum bilis utilitas, inter alias dotes ſibi proprias, non minima ſit, ut aciditatem in primis viis obtunderet; et quoniam fructus horaei, in inteſtinis fermentando, choleram morbum non raro exſuſcitant; hinc colligendum eſſe, excretionem bilis, forte ſecretionem, acidis et aceſcentibus ſollicitari poſſe; dum hujus liquoris amaror, et nonnullae ejus vires ſtimulantes, his adhibitis, feliciter obtundi queunt.

"Uti igitur doctrina, quae propoſuit icterum abſque obice quolibet vel ſpaſmo in ductibus haerente exiſtere poſſe, melius elucidetur, monendum eſſe, hunc morbum haud raro cholerae ſurpervenire, dummodo bilis, per ſuperiora aut inferiora, ea qua decuit copia, non fuiſſet expurgata. Et non raro obſervavi, inquit, quod icterus infantium recens natorum, idiomate vernaculo nuncupatus *Yellow Gum*, expulſo jam meconio, et foecibus adhucdum bile inſigniter imbutis, ſuperveniebat. Colorem idcirco cutis infantium flaveſcentem a copia bilis ſecretae oriri, forte

forte propter momentum ſanguinis adauctum, ſimulque preſſionem et exagitationem quam hepar inſtituta nunc reſpiratione patiatur, quam antea majorem. Cathartica lenia hunc iterum non raro profligaſſe, non quidem obſtructiones in ductibus biliariis referendo, neque meconium ex duodeno propellendo; utpote quod raro in eo hoſpitatur, adeo ut ductus orificium obturare queat: Sed ſtagnationem bilis in primis viis praepediendo, ex quibus, pariter ac ex ductibus biliariis, hujus particulae tingentes in ſanguinem fuere diffuſae." Haetenus vir optimus, quantum memini.

De ſtadii inflammatorii pariter ac putridi exiſtentia, nequaquam ni fallor dubitandum, dummodo ſymptomata, eorumque expoſitionem inſecuturam, ſeorſim contemplemur. In nonnullis idcirco ſymptomatis febri peculiaribus fuſius explicandis, moras interponere fuit neceſſe, dum ea phaenomena, quae cauſas cum aliis febribus communes agnoſcunt, pace judicum eruditorum fiat, ne nimis longus eſſem, leviore pede perſtringere tulit animus.

Inter medicos non adeo conſtat, an Rigor a vitio generis nervoſi ſpaſtico et fugaci, an a materie perſpirabili retenta, an denique a natura ſeſe levare nitente, oriatur; veritati tamen non inconcinna eſt norma, qua aeſtimatur tam fervoris ſecuturi gradus, quam ipſius morbi periculum, pro ratione horripilationis praegreſſae.

Vertigo ſive ex aequali circulatione per cerebri vaſa turbata, ſive ex materie putrida circa praecordia congeſta, ſive denique ex potentia nervoſa graviter oppreſſa, ortum duxiſſe videatur. Si igitur ingruente morbo vertigo ſe prodit, multum

tum inde mali ut plurimum praenunciat; utpote putredinis latentis ſoboles, et in omnibus febribus malignis ocyus ſeriuſve ſe oſtendens.

Calor febrilis, ſecundum morbi ingenium, diverſus. Alius namque fervor inflammatorius, alius denique putridus. Prior ſub digito palpante ſenſim minus ingratus videtur; poſterior, illi ſi co tangenti moleſtus, ſenſim tandem ſenſimque, vividior et acrior aſſurgit. Talis aeſtus, cum febribus putridis utique conſociatus, inteſtinis humorum agitationibus forte debetur, et minus quam in morbis inflammatoriis conſtans deprehenditur; unde non raro fit, ut viſcera aeſtuent, dum egelida ſunt extrema. Effectus hujus caloris, quod ad ſenſus, Galenus * appoſite depinxit, dum eum fumo fervido mordenti comparavit. In omnibus morbis febrilibus, attritus inter ſolida et horum contenta, ad calorem febrilem augendum, multum facit; ſed aliae accedunt cauſae, vaſorum puta minimorum vibrationes, et ipſius ſanguinis elaſticitas; nec parum valet motus humorum inteſtinus qui imprimis indoli principiorum heterogeneo debetur. Et analogia doctrinam confirmat. Novimus enim ſuccum uvarum, ex ſola particularum quod ad pondus et fabricam diverſitate, fermentationem, parique ratione calorem, accendere. An talis conflictus ſit, cui pro parte ſaltem debetur calor in febribus putridis peculiaris? Sub certis equidem conditionibus, alcalina, et partes animalium, excitato motu, inteſtino incaleſcunt, et denique putreſcunt.

Pulsus ſub primo febris ſtadio, quam in febribus ex toto putridis contingere ſolet, minus plerum-

* De diff. feb. l. i. c. 9. Chart.

que turbatur; quia acre ſtimulans non adhuc plene evolvitur, et minus vacillat cordis vigor: Sed, ad apicem vergente morbo, miro modo mutatur; et arteria ad carpum micans, exilis, debilis, irregularis, deprehenditur; quia ſyſtema nervoſum et cor ipſum adaucta putredine multum infeſtantur. Sin autem adſit coma, pulſus, propter turbatam cerebri oeconomiam, plenior et tardior evadit. In diverſis tamen aegris hoc morbo decumbentibus, prout magis minuſve dominatur putrida labes, multum variat. Nunquam enim in hiſce, perinde ac in iis qui morbis omnino inflammatoriis laborant, adeo conſtat; unde repetenda eſt horum diagnoſis minime fallax.

DOLOR capitis vertiginoſus, cum nauſea conjunctus, in morbis malignis, inter ipſa primordia, per unum alterumve diem antequam aeger lecto affixus jacet, genium febris imminentis plerumque praenunciat; provecto autem morbo, ſenſus doloris in occipite gravedinoſus indicium ſoporis inſtantis haud ſpernendum praebet.

LUCIS IMPATIENTIA functiones cerebri et nervorum opticorum multum conturbari fatetur; oculorum inflammatio delirium futurum minatur; ſi vero, in morbi progreſſu, cernantur oculi luctuoſi et turbidi, ſimulque rubedo tunicae albae levior adſit, aegrotantem in coma altum brevi prolapſurum eſſe teſtantur: Prope finem autem morbi, quoties oculi ſubito quaſi non ſolum inflammati, ſed truces apparent, ex eo ſignum datur haud incertum, febrem in phrenitidem lethalem penitus exituram; ſicuti in febre flava quandoque videre eſt.

VOMITUS pro cauſis, ſordes putridas gaſtricam lymphan inficientes, materiamve febrilem vaſa ventriculi

ventriculi opplentem, agnoſcit: In febre maligna, aliae etiam conſpirant cauſae; nimirum inflammatio ventriculi, et hepatis vicini. Nauſea et vomitus cum ipſa febre oborti, et arte medica vix ſedandi, ut plurimum non niſi inſtante mortis articulo infeſtare deſinunt. Inconſulto tamen a bile deducitur ſive cauſa, ſive febris ipſius nomen. Haud raro enim ne guttula quidem bilis ſurſum rejicitur; neque morbus ea de cauſa minus atrociter graſſatur. Minime tamen inficias ibo, quod vomitus, propter copiam aeruginoſae et acerrimae bilis in ventriculum retrogredientis, et ſurſum rejectae, longe fiat pertinacior. Sed ſi, propter aditum ei per pylorum negatum, parum bilis per os aſſurgit, res aegri non ideo in meliora tendunt; hoc enim, pylori orificium inflammatione occluſum, vel ſpaſmis admodum conſtrictum eſſe, commonſtrat. Patet tamen iter quo ſecundas vias ſubeat, et ad morbum acuendum multum conferre poſſit. Materies nigricans, quae ſub finem morbi ſurſum per vomitum rapitur, ex ſanguine putreſcente et bile prava commiſto conflari videtur; et gangraenam inde brevi futuram facile praedicabitur. Deletis nunc igitur tam ventriculi quam vitae praeſidiis, vomitus aliquot ante mortem horis omnino compeſcitur: Vomitus in febribus pertinax, peſſimi ſemper ominis habetur.

Anxietas, et pleraque morborum acutiorum ſymptomata, pariter ac tuſſis et ſternutatio, merito repetenda ſunt a naturae conaminibus, ſaluti corporeae proſpicientis. Hepar tumidum et inflammatum, itemque ventriculus, inflammationis aeſtu correptus, et vomitus aſſidui laboribus exagitatus, hujus ſymptomatis moleſtiis anſam procul dubio praebent. Ab his igitur per vaſa hypochondrio-

rum ſanguinea turbatur aequabilis circuitus, et ſanguis in vaſis majoribus, cordi et hepati quam proximis, accumulatur; unde cordis ipſius functiones funeſtiſſime impediuntur. Natura obicem lethiferum ſummis viribus amoliri nititur; alium atque alium ſitum invitus quaerit miſer; et quamvis his moliminibus expenduntur vires, acuitur morbus, et mors ipſa acceleratur, non minus tamen ad luctamina naturae referenda ſunt phaenomena. Namque in extrema mortis colluctatione, convulſiones ipſae ex eodem principio veniunt. "Symptomata depravati motus," inquit RIVERIUS *, "ſolius naturae ſunt opera, quae tamen a morboſa quapiam cauſa violenter moveri ſit coacta." "Quod in ſano edit actiones ſanas," natura nempe, "illud in aegro edit actiones morboſas," dixit HELMONTIUS †. Dolor hypochondriorum ſub premente manu inflammationi hepatis certe debetur; neque abeſt dolor, etſi tenſione vacant praecordia. Sed inde non colligendum, omnino illibatum eſſe hepatis robur, ſed tantum id minus ſolito pati. Namque, explorato ſub hiſce conditionibus cadavere, veſica fellis bile tenaci ſemper turgebat; et ventriculus, itemque inteſtina, praeter conſuetudinem, inflammata fuerunt. Hoc ſymptoma mihi ſemper fuit pathognomonicum: Et a medico perito, in hujus febris notitia multum verſato, jamdudum didici, vix abfuiſſe tale indicium, dummodo typum conſuetum aſſumpſerat morbus; et revera obſervationis veritatem confirmavit propria experientia.

RESPIRATIO ſub initio morbi haud magis in-

* Phyſiolog. de facult.

† HELMONT. op.

fringitur,

fringitur, quam ex aerumnis viſcerum vicinorum eſſet exſpectandum: Et accerſitus non raro notavi, quod anhelatio inconſtans et ſuſpirioſa pro indicio putredinis haud incerto eſſet habenda. Dum cerebro laborat aeger, reſpiratio rarior evadit.

AGRYPNIA, generis nervoſi affectio, cum morbis periculoſis conſociatur. A dolore et anxietate ſuboritur; et a nihilo magis quam ab hiſce turbatur ſenſorium commune. Si ſomnus brevior obrepſerit, aegerque territus, neque refectus, evigilaverit, delirii aut ſtuporis futuri ſignum praebebit; quod ut perſaepe notarem, occaſio fuit.

SYMPTOMATA VESPERE EXACERBANTUR.

Hoc phaenomenon in omnibus fere morbis febrilibus ſeſe manifeſtat. Id vero explicare ſatis arduum. Conſuetudo forſitan multum facit. Namque in ſanis ipſis, dies labori et vigiliis dicatur; unde vires corporis appropinquante veſpere fatiſcunt, functiones turbantur, et pulſus ratione ut 8 ad 7 acceleratur *. Sed nocturna requiete jactura reſarcitur, et antequam diluculum matutinum obrepſerit, tardior ſit pulſus. Verum in febricitantibus lecto affixis, abeſt calor conſuetus, abeſt reſarciendi neceſſitas; ſed natura, propoſiti tenax, exacerbationem veſpere urget, levamen mane nititur. Praeterea natura, viribus ſuis proſpiciens, conatus ſuos alternatim remittit et renovat; unde impetu quaſi iterato operam criticam perficit, quam ſimul et ſemel, ne ex toto fatiſceret, moliri non potuit.

LINGUA diverſum in diverſis febribus aſpec-

* MORT. op.

tum

tum ſibi adſciſcit. Si febris ſpeciem nervoſam aſſumit, illa nitida ut plurimum et humida conſpicitur; ſin haec inflammationi magis affinis, eadem cruſta albida vel fuſca obducitur; dum tegmine fiſſo nigroque putredinis indicia praebentur.

Quando ſordes ab inflammatoria immeabilitate naſcuntur, plerumque magna ſiccitas ſimul adeſt; ſi vero a viſcoſo putrido obſtruente, plerumque major humiditas: Niſi hae binae cauſae ſimul concurrant, nempe denſitas inflammatoria, et putredo, uti in morbis acutis ſaepius fit. Sed ut linguae ſuperficies apparet, ſic et ſe habet ſuperficies interior oeſophagi, ventriculi *, &c.

Intestinorum Renumque contenta, febris initio, parcius redduntur; ſed, provecto morbo, viribus ſepticis nunc evolutis, humores effunduntur: Unde ſanguis ſolutus et putridus per alvum reneſque provolvitur. Interea ſtadium inflammatorium putredinem ſenſim prodit et adauget; ſolvuntur omnino nexus inter principia ſanguinis naturales; et globuli rubri, qui in ſanitate commercium proximum cum ſero negaverant, nunc in liquamen putridum, aquoſa parte ſolubile, facilius abeunt; hinc haemorrhagiae variae et foeda cutis decoloratio profluunt. Sudoris colorem, in febribus putridis, vini Burgundici dilutioris pallorem referentem, obſervavit Huxham clariſſimus: Et idem in peſte propemodum accidit, dum vibices, itidemque petechiae, globulos rubros minima vaſcula per errorem loci ſubire demonſtrant. Cruor ſolutus intima cerebri pervadit, vel hujus ventriculos replet, unde

* Van Swiet. Comm. tom. 16. p. 120.

forſan

forſan coma altum inceſſit; ſanguis in veſiculis pulmonum et cavo ventriculi ſtagnat et putreſcit, et anima propterea graveolet. Ex functionibus cordis et cerebri fere deletis, deficit pulſus, proſternuntur vires, obrepit leipothymia, frigent et liveſcunt extrema; dum ſingultus a putredine circa praecordia commorante, gangraenaque ſimul incepta, concitatur. Experimenta in craſſamentum ſerumque ſanguinis inſtituta luculenter * edocent, ſatis eſſe probabile, quod nonnulla febrium putridarum ſymptomata de ſeparatione aëris fixi a reliquis ſanguinis principiis provenire poſſent; adeo ut aër priſtinum elaſticitatis ſtatum iterum adſciſcat. Et per experimenta nuper apud ingenioſum MacBride † ſedulo facta, veriſimillimum videtur, aërem fixum vinculum eſſe tam ſolidorum quam fluidorum praecipuum. Quoniam igitur aëris hujuſce ſeparatio a putredinis exordio naſcatur, quin iſta receſſio progreſſum putredinis ad ſuum faſtigium promoveat, vix dubitandum. Nonne pariter concludere liceat, quod tumor hypochondriorum et extremorum, aliquot ante mortem horis, eidem prorſus cauſae debeatur?

Sed febris maligna flava abſque ſtadio notabili inflammatorio decurſum ſuum interdum abſolvit. De cunctis in corpore humano putredinis effectibus rite ratiocinari, non leve prorſus eſſet negotium: Facile tamen intellectu, quibus tandem modis putredo intus concepta diu latitare, ſenſimque humores mutare, abſque gravi functionum laeſione poſſet. Si igitur cauſa remota, ad cauſam praedisponentem enodandam, ſolito ſerius

* Dr. Pringle's App. exp. 48.

† MacBride's Eſſays.

acceſſerit,

acceſſerit, tunc humoribus ſenſim ſenſimque prius colliquatis, fractoque pariter ſolidorum vigore, febris, quae ſub aliis et quidem diverſis conditionibus, ſigna inflammationis ineunte morbo prodidiſſet, nunc ſimul et ſemel putrida evadet. Vel ſi propoſuiſſe liceat, quod feminia ſcorbuti, ex pravo victu et diuturna navigatione profecta, cauſam praedisponentem dederint, res eodem recidet. Namque facile intellectu eſt, quomodo febris maligna, et toto coelo putrida, commiſſo inſuper errore in rebus nonnaturalibus, provocari poſſit. Raro tamen ita morbus invadit; ſed plerumque ſub his conditionibus fit diuturnior; et aliquando ad nonum decimumve diem, et revera, ſicuti ſemel obſervavi, ad ipſum decimumquartum protrahitur. Dum morbus tale genium aſſumpſerat, aeger interdum adſtantibus leviore tantum febre occupatus fuiſſe videbatur. Talibus plerumque deerat anxietas graviſſima, dolorque praecordiorum adeo ut ſub altera ſpecie acutus; neque inſigniter ſub contrectante manu moles hepatis adaucta; vomitus non adeo conſtans, neque ineunte morbo gravis; pulſus in ipſis initiis tardus, mollis, plenus; et, quatenus memini, colore ferrugineo, potius quam flavedine ſplendida, ſummum corpus iis erat imbutum. Veriſimile ergo videtur, quod, ſub hac morbi ſpecie, non adeo turbata fuit hepatis oeconomia.

De morborum aſpectu, in diverſis aegris vario, quidquam certi ſtatuere non ſemper licebit; et melius forſan erit, noſtram ignorantiam de nonnullis morborum phaenomenis interdum candide confiteri, quam ad vanam hypotheſin, in his explicandis, confugere.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

PERQUAM infida eſt febris malignae Prognoſis; ſed ex hiſtoria jam prolata ſatis conſtat, quod morbus jam memoratus ſemper fere peſſima minitatur: Nec mirum, ſi ſummam qua funeſtus eſt acutiem, et progreſſum hujus celerrimum, ſimul perpendemus. Remiſſiones quae unoquoque fere die obrepunt, et iſta imprimis notabilior remiſſio quae inter ſtadium inflammatorium et putridum intercedit, ſpem aegri et adſtantium haud raro fallunt; dum omnia feſtinanter in pejus ruunt. Si vero, bona fortuna, remiſſiones primae matutinae per aliquot horas duraverint, ſi exacerbationes verſpertinae abſque vigiliis et ſine praegravi anxietate contigerint, et remiſſio tertii diei ſomnum placidum et ſudorem univerſum, copioſum, proficuum attulerit, auſpicatum prorſus exhibent praeſagium, et, in ipſa herba jugulatum iri morbum, ſpem medico concedunt. Saluti pariter eſt vomitus, tunc temporis ſedatus; adeo ut ventriculus quaepiam ingeſta abſque moleſtia accipiat, et aſſumpta retineat. Virium itemque ſtabilitas, praecordiorum nec tumor neque multus dolor, haemorrhagia aut nulla, aut ex naribus modica, et diarrhoea haud putrida, ac ſine virium jactura perſtans, exitum fauſtum promittunt. Sed dolendum, quod rarius haec bona indicia contingunt.

Si, ex adverſo, ſymptomata primi ſtadii, ſaeva ſint, et valde atrocia; ſi anxietas moleſtiſſima, debilitas ſumma, vomitus non intermittens, et lucis impatientia, urgeant; ſi truces, inflammati, ſimulque turbidi, appareant oculi; ſi aeger de ſenſu aeſtus quam maxime ingrato circa praecordia conqueratur;

queratur; brevi periodus putrida eſt exſpectanda, et, ſemel nata, perniciem ſecum fere adfert: Unde natura, citiſſime fatiſcens, victrici morbo tandem ſuccumbit. Quo citius oculorum flavedo ſe prodiderit, eo periculoſius. Ictericum enim cutis colorem ſaepe ſaepius intra 36 aut 48 horarum ſpatium, et ſemper peſſimo eventu, ſubvenire vidi: Neque melioris ſunt notae, vigilia pertinax, inquietudo magna, delirium ferox, coma altum. Pulſus ſive admodum lentus, ſive velociſſimus, ſimulque valde exilis, ſummam pariter minitatur perniciem. Inter notas mali peſſimas merito annumerantur, linguae atque manuum tremor, nigricantis materiae vomitus, dejectiones foetidae, ichoroſae, ventre ſimul tumeſcente; vibices lividae, collum, pectus, vel praecordia occupantes; larga per itinera diverſa ſanguinis effuſio; extremorum algor, deglutitio laeſa, ſingultus: Tunc quidem omni medicina major eſt morbus; et aegrum in limine mortis gelidae verſari teſtantur omnia. Quibus ex ſymptomatis collatis, ſive morbi ſtatus, putridus, ſive inflammatorius, purus et magis exquiſitus, apparuerit, eo magis in vado res aegri verſabuntur. Nam quo minus ſymptomata viſcerum laeſorum ſaeviebant, eo felicior eventus; quamvis ſigna putredinis plura et vehementiora ſimul exhiberint. Et hic ſimul et ſemel monendum, quod ab experientia compertum habeo, periculum ſummum magis ex ratione inflammationis in ipſis febris primordiis, quam putredinis ſcenam morbi claudentis, imminere.

Nonnulli voluerunt, auriginem cutis, criticam aeſtimari debere: Sed, ex ducentis, aut forte pluribus, quos hoc morbo tentatos vidi, ſemel tantum

tantum vel bis exemplum novi, ubi, cum minima veritatis ſpecie, iſtam ſuffuſionem aliquid medicati habuiſſe, ſuſpicari daretur; id eſt, ſymptomata pari ratione deferbuiſſe, ac flavedo efflorui-iſſe videbatur; et tunc ſymptomata hepatis affecti ſolito mitiora exſtiterunt.

Ex hoc morbo reſurgentes, diu inter adverſam valetudinem et ſanitatem ambigentes, debiles, convaleſcentes reſtabant: Et, teſte viro ingenioſo admodum, et mihi amiciſſimo *, milites qui hoc morbo apud Havannam decubuerant, in Americam Septentrionalem perventi, jam inſtante hyeme gelidiſſima, per totum Hybernum tempus infirmati remanebant, et magnam bilis copiam, quotidie fere, ſurſum rejiciebant.

De ſolutione morbi critica parum conſtat. Sudor calidus uberior opem aliquando praeſtat, interdum per diarrhoeam judicatur; ſed ex ſtadio putrido quaſi reſurgentibus, inſignem criſin notare raro mihi contigit. Plurimos furunculos convaleſcentibus, dum ad pleniorem victum nimis ſubito redibant, erupiſſe ſemel biſve vidi. Et, quoniam febres remittentes tertianae, quae autumno invadunt, aliquando circa diem ſeptimam, colorem ictericum per ſuperficiem corporis diffuſum in criſin ſibi vindicant; ideo, ſed inconſulto, cum maligna febre a nonnullis confunduntur. Priuſquam hoc argumentum abſolvam, notare obiter lubet, quod in India Occidentali, per itinera cutis ſaepiſſime, interdum per diarrhoeam et urinam, raro quavis haemorrhagia, rarius per vomitum, plene ſolvitur quaelibet febrium ſpecies. Excretionem ſalivae criticam bis tervo no-

* Mr. Adair.

vi; apoſtema parotidum vidi, ſed infauſtum; infantibus autem, tumores ad inguina et aures parum ſive ſalutis, ſive diſcriminis, prae ſe ferebant.

EXEMPLA perpauca revera praxis diuturna nobis exhibuit, ubi morbi ſecundum leges HIPPOCRATIS fuere judicati. An hoc climatis occidentalis naturae debeatur, ubi remiſſiones morborum crebriores, nixus majores criticos, ideoque dies decretorias, intercipiunt? An a medendi methodo magis artificioſa et operoſiore, a recentioribus medicis uſurpata, oriatur? An ab utroque? Forſan! Ad medelam morbi nunc tranſeundum.

MEDENDI RATIO.

IN medela febris malignae flavae, adimplenda eſt triplex indicatio:

I. DIATHESIN inflammatoriam refrenare.

II. PUTREDINI occurrere, vel natam corrigere.

III. SYMPTOMATA graviſſima tempeſtive mitigare.

MEDICUS in ipſo limine haud raro dubius haeret, quid in medela faciendum ſit. Calor vehemens, anxietas moleſtiſſima, vultus rubor, et dolores varii, phlebotomiam largam poſtulare videntur; neque renuit utique pulſus: Sed reclamat latens putrida fomes; reclamant debilitas et pulſus oppreſſus, quae, ut plurimum, venaeſectionem incauta manu celebratam ſequi conſueverant. Quid igitur ſtatuendum eſt? Symptomata primi ſtadii ſaeviora ad putredinem ipſam viam ſternunt; neque minus nocivum eſt nimium vitalis liquidi diſpendium. Quoties ideo inter morbi principia decumbentes inviſeram, aliquot ſanguinis uncias, inciſa vena, detrahere, mihi fuit ſolenne,

ſolenne, dummodo ſuaſerint ſymptomata acuta. Sed ipſo temporis puncto quo ſanguis ex vena elabitur, pulſum explorare neceſſe eſt, ut de quantitate, ſive nunc ſive poſtea elicienda, decernere poſſimus. Si deficiat pulſus, fluxus ſanguinis illico ſiſtendus; neque repetenda venaeſectio: Si vero pulſus liberior, erectior, evaſerit, in peſte ipſa ſanguinem detrahere non vererer. "At in morbis acutis ſanguinem detrahere oportet, ſi vehemens fuerit morbus, et qui aegrotantes aetate florente fuerint, et virium robore valuerint *." Sed, quoniam aeger ex provecto morbo haud raro in coma incidit, operae pretium eſſet, ut malum hoc periculoſiſſimum inde forſan praecaveretur, et capitis affectiones permoleſtae ſublevarentur, arteriam temporalem ſub febris initium pertundere: Vel ſi hoc inter ipſa morbi initia fuerit neglectum, delirium vel coma incipiens, arteria reſecta, haud raro ni fallor jugulentur. Ex propria de hac febre notitia praxin commendare nequeo, quia nunquam tale experimentum inſtitui; ſed, in febribus remittentibus, nonnullos, ferme apoplecticos, hoc pacto e periculo ereptos vidi. Praeterea multum ambigo, annon in omnibus morbis acutis, qui ſanguinis jacturam efflagitaverint, ſatius eſſet, dummodo prompte et tuto fieri poſſit, ſanguinem ex arteria detrahere; quia major inde copia ſanguinis, abſque deliquio vel virium defectu, quam pertuſa vena, elici poteſt †. Quod in hoc morbo maximi momenti eſt, ubi plethora ad vaſa, et ſymptomatum vehementia, talem depletionem poſtulare videntur. "Copi-

* Hipp. de rat. vict. in morb. acut.
† Dr. Butter's Theſis.

" oſiſſima

ossissima narium haemorrhagia facta, mox omnem malitiam morbus deposuit. In febre ardente sanguis, tenuissima sua parte orbatus, in concretionem tendit, atque in arteriis haerere incipit, in venas transprimitur tantum, et per venaesectionem tollitur illud quod transitui pervasa, solum adhuc aptum erat. Arteriotome ergo vel scarificationes cum cucurbitulis impositis potius profuturae viderentur *." Ulterius, BONETUS † notavit, quod arteriae cadaverum, post morbos acutos, plenae, venae autem vacuae, reperiebantur; dum huic contrarium, in hominibus morbo chronico sublatis contingebat. Si post aliquot horas crassamentum fragile, laxum, et cum sero nuptum, appareat, sanguinem detrahere vix ulterius licebit. Sed utcunque res se habeat, quoniam nimium vitalis liquidi in hac febre dispendium, vires vitae, nunquam postea erigendas, prosternit, parce admodum sanguinem una vice subtrahere, satiusque repetere, fas erit. Detracto quantum decet sanguine, primae indicationi ulterius satisfaciendum est. Sed renuit vomitus, symptoma refractarium; a quo, sive sedato sive proritato, bonus vel malus morbi exitus plurimum haud dubie pendet. Dum nausea itaque et vomitus vexant, parum prosunt remedia interna. Succurrendum igitur est ventriculo quam maxime laboranti; quia vomitus non solum ventriculi, sed etiam hepatis incumbentis inflammationem adauget, et totam corporis oeconomiam perturbat. Omnes medici qui de medela nostrae febris scripserunt, emeticorum usum reprobarunt; et medicus pe-

* V. SWIET. Comm. T. ii. p. 460. de Phrenitide.
† Sepulchret Anatom.

ritus,

ritus, qui in morbo curando plurimum fecerat, peſſimos in ipſo morbi initio effectus ex uſu ipecacuanhae vel pulv. Doct. JAMES ſe vidiſſe mihi retulit. Nos tamen non latet, medicos apud Martinicam militares, totam ferme morbi medelam in uſu tart. emet. cum manna ſoluti, poſuiſſe; adjectis pro re nata clyſmatibus, quibus remiſſione impetrata, Corticis Peruviani ope, morbum ex toto profligaſſe. Praxis adeo ſimplex proſperos aegrotantibus eventus praeſtitit; uti mihi narravit chirurgus peritiſſimus *, cui grato animo pariter ac conſanguinitate ſum devinctus, qui Noſocomio militari apud Martinicam praeſidebat. Praxin haud abſimilem ſe in ipſa febre inſtituiſſe peritus medicus HUCK nuper obſervavit †. Talia remedia, inter initia, ingenio morbi ſemel detecto, nunquam propter ſummam ventriculi irritabilitatem ſubminiſtravi: Aliquoties tamen remedium, a Doct. JAMES inventum, ad calcem morbi, ſed ſemper peſſimo eventu, porrexi. In tali opinionum diverſitate, quid ſtatuendum ſit, vix dicere audeo; ſed, quoniam methodus medendi, de qua mox dicturi ſumus, infelici ſucceſſu haud raro fuit inſtituta, candide confiteor, quod antimonialia in ipſis primordiis lubenter pericliterer, dummodo aegros hac febre decumbentes poſthac tractare mihi foret fortuna. Sed ut ad rem redeam: Imprimis in votis eſſe debet, vomitum ſopire; cui conſilio potum, ſive e floribus chamomeli, ſive ſalviae, ſive denique menthae, theae-formem, per unam alteramve vicem, ad ventriculum eluendum, dare conveniet: Vel,

* Mr. ADAIR.

† Dr. PRINGLE's Obſervat. edit. 4.

ſi vomitus conatus acerbi aegrum jamdudum exercuerint, hoc neglecto, ad uſum hauſtus ſalini, in ipſo effervescentiae actu deglutiti, illico confugiendum; neque mediocrem opem attulerunt cataplaſmata, quae aromata et ipſa narcotica recipiunt, regioni ventriculi admota.

Si alvus ſit compreſſa, ope clyſmatum leniter purgantium, eam ſubducere oportet. Hoc boni talia habent remedia, ut foeces et bilis acris, in putredinem proclives, his feliciter eluantur, quae ad vomitum, adeoque ipſum morbum acuendum, plurimum conferunt. Alia denique diverſi generis clyſmata, diluentia nimirum, nitrata quoque et emollientia, maxime convenient: Hepar et ventriculum mediante colo fovent, demulcent; periſtalticum ventriculi et inteſtinorum motum verſus interiora leniter proritant; remedia refrigerantia, et quae vi antiphlogiſtica pollent, in ſecundas vias tranſmittunt; ideoque ad vomitum compeſcendum, et inflammationem viſcerum minuendam, plurimum faciunt. Sydenhamus tanti fecit clyſmata, ut poſt s. m. ſemel celebratam, ſe, ſolo horum uſu, nimiam ſanguinis exaeſtuationem pro lubitu compeſcere poſſe teſtetur*. Haec igitur ad tertiam uſque diem, iv. vel vi. quaque hora, ſunt injicienda; dummodo, interim, diarrhoea ſalutaris non ſupervenerit. In ſtadio tamen putrido parum proſunt clyſmata quaecunque; et ne vires vitae inde nimis langueant, non niſi ex ſumma neceſſitate tunc adminiſtrari debent. Alia etiam ad vomitum ſedandum advocavi auxilia; acida nempe vegetabilia et quidem mineralia, adeo tamen diluta, ut aciditas

* Sect. I. cap. iv. p. 69.

linguam

linguam vix feriret: Vinum itemque rubrum cum multa aqua nuptum, et ſuccum denique fructus vulgo *The Cocoa-nut* blandiſſimum, hac ſpe exhibui. His vero ſuo munere non fungentibus, ad opium confugere auſus ſum. Monendum vero, quod aliquando, cum de vomitu compeſcendo ſolicitus opiata repetitim exhibuiſſem, anxietas aliaque ſymptomata longe ſaeviora fiebant; neque inde ſemper pacatus fuit vomitus. Ideoque nunquam in auxilium, ut opinor, advocari debet, niſi alia remedia palmaria prius fuerint tentata. Nonne dictis veterum auſcultari, et aquam frigidam parca ſimul copia et partitim dare, operae pretium eſſet? HIPPOCRATES *, medicinae parens, eam in febre quotidiana, cum ſignis inflammationis quanquam ſociata, praecepit: Et hujus liquidi mire refocillantis uſum in vomitu immane dolente ſuadet COELIUS AURELIANUS †. Sed ſi ſupra laudata ſine profectu propinaverim, de uſu balnei tepidi in ſtadio primo interdum cogitaveram; ſed, dum curam plerorumque aegrorum hac febre decumbentium ſuſceperam, ejuſdem effectus nunquam eram expertus. Quaedam enim quod ni fieret obſtiterant. Namque febricitantes, donec ex flavedine in univerſum diffuſa de aegro fere conclamatum eſſe ſtatuendum eſſet, raro ad Noſocomium fuere demandati; vel ipſi, ſi res ſecus ſe habuerit, a tali medela ſatis averſabantur. Sed cum miros tepidarii effectus in aliis morbis febrilibus laetus notaveram, multum me poenitebat, quod tale remedium, in morbo adeo exitiali, tentamini non ſubjeceram. Tali ſen-

* De morb. lib. ii.

† P. 148.

tentia fretus, dum, posterioribus annis, ad unum alterumve aegrum, sub stadio ultimo laborantem, sui accersitus, tepidarii usum suadebam; sed, quamvis idem morbi saevitiam aliquantulum sublevasse videretur, perniciem tamen ex toto amolire nequaquam poterat. GALENUS usum balnei calidi in febribus putridis commendavit. "Balnea vero, inquit, calida ex aqua potabili prosunt, tum alia aliquid bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimum juvant; nam hujusmodi omnia balnea humectant, ac potentia refrigerant *." Aaetius † usum talis balnei in febribus synochis et putridis laudat. "In his maturius quam in aliis morbis in balneum ducere oportet," ait CELSUS ‡. Inter plurimos alios scriptores, quos recensere alienum foret, eminet PROSPER ALPINUS; qui plurima, eaque cognitu digna, de balneo tepido in medium protulit: "Usum illorum exercent, Ægyptii nempe, ad febres ephemeras, omnes ex caliditate nec minus ex siccitate obortas, atque etiam ad putridas, quae ex copia sanguinis, bilis amarae atque exultae, oriuntur, ad hecticas quoque, et ad omnes inflammationes ‖." Balneum tepidum, uti saepius notavi, solida laxat, humores diluit, phlebotomiae quodammodo vicem gerit, viscera abdominalia fovet, contractiones illorum spasticas solvit, obstructiones reserat, inflammationem minuit, dolores mitigat, secretiones et excretiones salutares per cutim imprimis et renes insigniter adauget, somnum placidum conciliat, atque haud raro

* Lib. i. ad Glauc.
† Tetrabibl. II.
‡ De feb. pest. l. iii. c. 7.
‖ Med. Ægypt. c. xix.

remissionem

remiſſionem febris plenam concedit. A noſtro propoſito omnino alienum fuiſſet, alioquin miros balnei tepidi effectus, in pleriſque morbis acutis, hiſtoriis aptis elucidare potuiſſem. HIPPOCRATES * hoc remedio in tertiana febre utebatur; ſed, quod ſcio, vix a ſcriptoribus recentioribus, niſi a GILCHRISTIO claro et ſagaci †, ſerio et ut meruit, commendatur. Quod ad noſtrum morbum ſpectat, ventriculi, inteſtinorum, et hepatis ſpaſmi et inflammatio, anguſtia praecordiorum moleſtiſſima ſimulque dolorifica, atque fervor corporis urens et perquam ingratus, laxantia topica poſtulare videantur. Ecquid in materia medica in hunc ſcopum tepidario anteponendum?

HAEC noſtra ſententia, ex analogia tantum petita, ab experientia utique fuit comprobata. Namque clariſſimus noſter Profeſſor RUTHERFORD, ex candore et urbanitate ſibi conſuetis, mihi referebat, ſe plurima de febris noſtrae genio et medela, ab amico ſuo D. DALRYMPLE ex obſervatis conſcripta, olim perlegiſſe; et ex his didiciſſe, peritum medicum modo memoratum, dum rei medicae in caſtris Britannicis apud Carthagenam et Inſulam Jamaicam praefuit, quam plurimos milites hac febre apud Jamaicam decumbentes et fere conclamatos, per balneum tepidum hoc modo uſurpatum, morti eripuiſſe: Nempe, quoties, ad calcem morbi, remedia omnia alia, utut decartata, fuerant incaſſum adhibita, ut aeger indulio laneo, tepida aqua madefacto, eſſet obvolutus, eum curaſſe; et, excitato inde ſudore profuſo, morbum hoc pacto non raro profligaſſe.

* De morbis.

† On the uſe of Sea-voyages and medicine.

SED, ſi leipothymia, proſtratis viribus, a nonnullis timeretur; optime, ni fallor, fotus calidus, ex aromatibus cum ſale ammoniaco crudo confectus, ſuppetias ferret. Ad eandem metam, inflammationem ſcil. minuendam vomitumque leniendum, tendunt cucurbita vel cum ferro, vel ſine eo, regioni hepatis et ventriculi admota, et empl. epiſpaſticum inſuper applicatum. Epiſpaſtica, in omni inflammatione ſuperficiem corporis proſpiciente, plurimum faciunt; argumento ſit eorundem efficacia in pleuritide; et, quoniam experientia compertum, Dolorem dolore levari, veriſimile eſt, quod tale remedium, anxietatem et aegritudinem circa ventriculum minuendo, peſſimis ſymptomatis levamen praebeat, et febris ſaevitiam coerceat. Monuit enim clariſſ. WHYTT * pulſum in morbis inflammatoriis, antea durum et velocem, adhibito epiſpaſtico molliorem et lentiorem evaſiſſe; ſicubi vero aliter contigerit, id plurimum periculi minitari. Uſum epiſpaſticorum, ex eo quod vi ſeptica et ſolvente donari cenſeantur, plurimum reprobavit Dom. WARREN: Sed ex ſententia peritiſſimorum medicorum conſtat, quod efficacia veſicantium praecipua a ſuo ſtimulo oriatur. Clariſſ. MEAD †, in peſſima ſpecie variolarum, ubi haemorrhagiae et maculae gangraenoſae ſanguinem eſſe admodum ſolutum monſtrabant, epiſpaſtica ad delirium abigendum cum profectu admovebat. Si igitur, primo ſtadio nondum exacto, ſymptomata graviſſima, epiſpaſticorum ope, ſublevare poſſimus, certo certius multum inde beneficii ſperaremus: Sed, ſi quis, auctoritati implicite

* Phyſiological Eſſays, p. 68.
† De variolis.

auſcultans,

auſcultans, epiſpaſtici uſum renueret, quid vetat quominus phaenigma ſtimulans hujus vicem gereret?

Restat adhuc aliud remedium, nempe radix Columbae, nuperrime in uſum medicum advocatum. Hoc medicamentum, ex plurimis periclitationibus, hic loci et alibi factis, ſub pulveris forma, et ad grana decem una vice propinatum, vires mire ſedantes, in cholera morbo ſaevo illico fere obſopiendo, exercuit; ideoque, irritis aliis auxiliis, ad vomitum pernicioſum compeſcendum ſemper tentari debet. Neque ejuſdem remedii efficacia, in ſaeviſſimis ventriculi ſubverſionibus, febres bilioſas comitantibus, cuivis medicinam in India Occidentali facienti minus patebit. Haud vero alienum ſit hic obſervaſſe, quod, dum hyeme praeterita, inter plurima alia experimenta ad vires materiae medicae certius probandas inſtituta, in quibus una cum ſodalibus ingenioſis et ſpectatiſſimis *, ſub auſpiciis clariſſ. Prof. Hope, eram occupatus, inveniebamus, radicem modo memoratam viribus antiſepticis quam clariſſime pollere.

In medela vomitus ſtabilienda, eo diutius immoratus ſum, quia morbi eventus, ſive fauſtus, ſive funeſtus, ab eo omnino pendere videatur.

Vomitu ſupra memoratis tandem pacato, remedium leniter purgans non ſolum utile, ſed apprime neceſſarium eſt. Detur igitur lene cathartícum, ex manna, tartar. ſolubili, vel ſale Glauberi, et decocto tamarindorum paratum. Adeo multifarium eſt beneficium quod a purgantium uſu ſit exſpectandum, ut iis tempeſtive adhibitis

* Jac. Fyshe Palmer, M. D. Lucas Pepys et Joan. Parsons utroque ex Æd. Ch. Oxon. ſocio, et Dom. Tho. Smith et Jacob. Blair.

imprimis

imprimis haud dubie ſemper debeatur ſalus recuperata. Namque haec, bilem acrem et alia inteſtinorum ventriculique contenta deorſum provolvendo, humores ex hepate per ductus biliarios alliciendo, plurimum valent; dum interea ramuli vaſorum in hepate diſſitiſſimi, ubi obſtructio et inflammatio ſedent, deplentur, et mala quae ipſi morbo fontem tribuerant pari paſſu tolluntur. Hoc ſuadent argumenta ex anatomia et phyſiologia deducta; neque renuit ipſa experientia. Hepar enim, inteſtinis vicinum, cum iis alit commercium, per ductus biliarios in cavum duodeni immiſſos, quam proximum; communem itemque conſenſum concedunt vaſa et nervi ex iiſdem truncis derivata: Et denique natura ipſa, diarrhoeam haud raro excitando, a vera hepatitide, pariter ac a febre maligna flava, ſeſe liberare conatur. Praeterea, hoc videtur eſſe unicum emunctorium, quorſum humores morbidi cum aliqua ſpe ſucceſſus ſolicitari poſſint; namque, ut ſupra monui, ſpiracula cutis in iſtis peregrinis parum idonea eſſe videntur, ut criticum morbo exitum concedant; neque, ut ab experientia didici, multum in hunc finem confert urina. Adſunt igitur auxilio promptiſſimo, quae ſupra retuli purgantia; neque minus virtute pollent cremor tartar. et tartar. vitriolatus.

Haec ita parari debent, ut ventriculo gratiſſima ſint; atque eouſque repetenda, quo alvus, per binos ternoſve dies, diarrhoea levi ſolvatur. Uti prima purgantis doſis, aliter in inteſtina viam non factura, aliquando ſub praeſidio opii detur oportet; quamprimum autem hoc pacto in inteſtina illi pateat meatus, id genus remedia tranſitum ſibi poſtea facilius vindicabunt. Dolendum vero, quod

quod ventriculus eccoprotica talia, utcunque lenia, haud raro pertinaciter respuit. Dummodo igitur recensita, sua mole, ventriculo fuerint ingrata, haudquaquam ni fallor alienum esset, haustum salinum, adhuc effervescentem, et qui tartar. emet. grani dimidium simulque aquae cinnamomi paululum admiserat, protinus deglutire, et eundem nata occasione reiterare. Hoc enim auxilio, in aliis febribus nausea refractaria sociatis, dum ventriculus alia quaelibet purgantia toto coelo abhorruerat, alvum feliciter solicitare, ex eoque vomitum sedare, nobis fortuna fuit. Parum quidem mihi placuit usus antimonialium nimius in febre de qua agimus: Quum autem ab experientia medicorum in castris Indiae Occidentalis Britannicis compertum esset, antimonialia, parce et per vices adhibita, feliciter voto respondisse; nemo certe, aegrotantis saluti prospiciens, aliis interim remediis incassum tentatis, ab horum periclitatione renueret. Et revera abusus medicamentorum, vomitum cientium, olim in febre maligna, fecit ni fallor, ut omnes qui de hoc morbo scripserunt, omnes denique, medicis militaribus exceptis, qui hujus morbi medelam susceperunt, ab id genus remediis adeo aversarentur. Sed credibile nonnullis videatur, quod antimonialia, partitim assumpta, ventriculum, non magis quam conatus ipsi ad vomendum immanes, perturbent: Optandum vero, ut clarus et peritus Huck certiores nos faciisset, an infelices effectus, nec ne, ex horum remediorum usu unquam notaverat; quoniam experientia nobis commonstravit, ventriculum, jam inflammatione occupatum, leniſſima equidem ingesta perferre non potuisse. Hic enim, ni fallor, morbum feliciter

in

in ſalutem ducendi, praecipuum haeret obſtaculum. Quaeſitum igitur adhuc reſtat, an non, exhibitis e claſſe antimonialium remediis, vomitus, inde in pejus ruens, poſtea neutiquam ſedari potuiſſet: Sin id, uti ſuſpicor, aliquando contigit; colligendum eſſet, haec eadem remedia a medicis militaribus adeo laudata toties tantum convenire, quoties inflammatio, aut nulla, aut ſaltem levior, ventriculum occupaverat; quod, niſi multum fallimur, dum morbus typum proprium vindicat, perraro ſi unquam accidit. Nobis idcirco incumbit, ut de cautela adhibenda, in his medicamentis uſurpandis, moneamus, uſque quo experientia ulterior eorundem uſum ſanciverit: Eoque magis obnixe hoc memoraſſe noſtra refert, quia, propter diagnoſin inaccurate inſtitutam, in hunc errorem ipſe aliquando incideram, et antimonialia libera ſatis manu, pariter ac in tertianis, propinaveram.

QUOTIES ante diem tertiam quartamve a dictis plene ſolvatur alvus, adeo ut Cortici via felicissime ſternatur, aegrotanti ſors ſalutis haud ambigua plerumque conceditur.

FINITA igitur per alvum ſubductione, monendum eſt, quod binae indicationes, ſibi utique adverſiſſimae, medico ut plurimum ſe oſtendunt: Nempe, quod inflammatio hepatis et forſitan ventriculi, attenuantia, refrigerantia, depoſcunt; dum interea viribus vitae conſulendum, ſtadioque putrido, poſtea ſecuturo, pariter proſpiciendum. Media igitur tenenda eſt via: Si vires enim ſatis adhuc conſtent, et ſigna inflammationis vigeant, diarrhoea ſive eccoproticis, ſive clyſmatibus, ſive utriſque, ſuſtinenda; dum remedia, quae viribus praeſtant antiſepticis et cardiacis, eatenus antiphlogiſticis,

phlogisticis, quatenus res aegri postulaverint, consocianda. Eo ergo proposito, dentur diaphoretica lenia et antiseptica; inter quae eminent camphora, serpentaria Virginiana, et crocus Anglicanus; quibus adjecta sint spiritus mindereri, nitrum, et acida vegetabilia. Acida mineralia, licet inflammationi similiter ac putredini maxime adversentur, a ventriculo tamen nunc adeo irritabili, nisi admodum diluta, plerumque sustentari nequeunt. Si vires et pulsus patiscant, abjectis nitrosis, exhibeantur cardiaca memorata cum vino rubro austero aut Madeirensi. Sit potus acescens, vinosus. Infusum tamarindorum, decoctum cremor. tartar. decoctum panis biscocti adusti, vinum rubrum multa aqua dilutum, et cum succo limonum acidulatum, et denique serum acetosum, proposito optime conveniunt. Summa virtute pollent acida vegetabilia in morbis febrilibus: Namque humores attenuant, partium liquidissimarum damnum resarciunt, sitim gratissime alleviant, alvum leniter repurgant, calorem febrilem extenuant, diathesin inflammatoriam coercent, putridam futuram praecavent, et natam reprimunt.

Optifex Rerum Summus ex sua bonitate sic statuit, ut fructus acidi, viribus antisepticis, refrigerantibus, locupletissimi, quibus inflammationi pariter ac putredini obsistant, climatis indici fervidissimi sint indigenae. Fructus igitur horaei, aurantia, nempe tamarindi, limonia, aegrotanti quam gratissimi, sitim efficacissime compescunt, et minus quam quilibet potus ventriculo onerh, tum ad vomitum solicitant.

Plurimi medicorum, tam veterum * quam

* Hippocrates de morb. l. ii. Aret. l. ii. c. 8. Gal. Meth. med. l. ix. c. 6. et Coelius Aurelianus de Acut. Pass. l. iii. c 21.

recentiorum *, pocula frigida in febribus biliosis putridis praecipiunt. De aquae gelidae parciore usu, in vomitu sublevando, jam monui: Et experientia nostra commonstravit, eam in morbi decursu non minus proficuam esse; dummodo panis ustus, illi adjectus, frigiditatem tantillum temperaverit, neque nimia copia simul et semel inhauriatur.—Aegri hac febre decumbentes potum calidum ut plurimum nauseant, frigidum interim avidissime desiderant; neque, siquidem temperate usurpatur, de hujus liquoris reficientis usu adeo metuendum: Vigorem ventriculi et intestinorum refocillat, vires vitales erigit, sitim alleviat, et robur languenti mire restituit. Cavendum vero, ne nimis potulentis gravetur ventriculus, et vomitus, prius pacatus, de novo inde concitetur.

Auram liberam, temperatam, spiret aeger; in conclavi bene ventilato, vestimentis stragulisque levissimis, decumbat.—Nihil in febribus putridis ad secundam valetudinem restituendam magis convenit, quam aër purus frigidiusculus; praesertim in India Occidentali, ubi, propter ejusdem regionis ad Solem propinquitatem, fervida admodum est quaelibet anni tempestas.—Quod ad victus attinet, monendum, quod, in iis morbis, regimen diaeteticum, plus quam decet, plerumque negligitur. Adjutores enim, fastidio aegri nimis indulgentes, cibi exhibitionem praetermittunt. Ut malis ab hoc fonte profluentibus occurreretur, victum farinaceum, sorbilem et vi-

* Hoffm. Meth. med. sect. ii. c. 2. Idem de intestinor. dolorib. ob. 4, 5. Van Swiet. sect. 640, 730, 743. Cleghorn p. 174. Grainger de feb. anomal. p. 79.

nosum,

noſum, debitis intervallis pariter ac medicamenta, adhibendum praecepi; cui normae eo magis obtemperandum erat, quoniam particulae difflatae reſtitui, humores dilui, vireſque refocillari, eſſlagitarent. Quamprimum vero, ſub naturae auſpiciis, ſymptomatum impetus cum ſudore univerſo deſaevierit, exhibeatur nobile antiſepticum, Cortex Peruvianus; ſin autem plenam intermiſſionem ante Corticis uſum exſpectemus, miſere falleremur.—Sed a nonnullis quaeratur, quomodo rectae rationi, et praxi medicorum maxime colendae, talis medicamenti exhibitio conveniret, dum inflammatio viſcerum et febris pariter infeſtare perſtant.—Hic igitur loci monere lubet, quod, quando Cortex Peruvianus in praxin primo erat evocatus, medici uno fere ore potentiam oppilantem et aſtringentem ei aſſignabant.—Conſtituta hac doctrina, uſus Corticis in febribus inflammatoriis, ut et in febrium intermittentium paroxyſmis, pariterque in omnibus denique morbis, ubi ſuſpicio fuit quod viſcera infarcta, excretiones ſolito parciores, aut primae viae contentis ſaburroſis degravatae eſſent, pleriſque medicis omnino erat improbatus; neque deſunt ſcriptores, qui, vel in ipſa febrium apyrexia, Corticem admodum eſſe infeſtum decreverunt *. Attamen novimus, quod Indici Americae Auſtralis incolae Corticem Peruvianum in ipſis febrium intermittentium paroxyſmis uſurpabant †: Et, in India Occidentali, experientia fuit compertum, quod, urgente periculo, licet obſtructionis aut inflammationis ſigna quaedam remanſerint, non ideo a Corticis

* Baglivii, &c.

† Geoffrey's Mat. Med.

Peruviani uſu abſtinendum, niſi certo exitio aegrum conſignare vellemus. In febribus igitur, ſive intermittentibus ſub ſpecie remittentium ludentibus, ſive in ipſis remittentibus periculoſius urgentibus, delirium concomitans aliquando flocci pependi, et decoctum Corticis cum largis ſpiritus vitrioli dulcis portiunculis, neque ſemper incaſſum, adhibui; hoc enim pacto, exacerbationem proximam praeoccupavi, vires ejuſdem infregi, ac tandem febrim ex toto profligavi. Hoc indicium a chariſſimo et perito Fratre meo, inter alia, acceptum grato animo recordor. Tempeſtivitas ipſa, qua incidiſſet apyrexia, ſi febris exacerbationes ordinate ac certo typo rediiſſent, mane praecipue, ad audacem hunc conatum faciendum eligi debet. Argumentis plurimis forte oppugnetur haec praxis; ex eo nempe, quod delirii quaſi incrementum, febris inveteratio, obſtructionum chronicorum formatio, a praematuro hoc uſu Corticis oritura metuerentur.—At, praeterea quod ſanguinis craſis, nunc magis ſoluta, obſtructionibus, praecipue ſub febris finem, minime faveat, de ſequelis et dubiis, ad limina premente ſummo periculo, quis ambigeret!

Peritus Cleghorn *, qui de febribus Inſulae Minorcae tertianis, et de harum genio et medela, plurima, eaque optima mandavit, praxin huic haud adeo abſimilem inſtituit. Ex repetita enim experientia compertum habuit, Corticem Peruvianum inflammationi non adeo inimicum fuiſſe, ac nonnulli crediderunt; ſed, ex adverſo, febris durationem, ad inflammationem acuendam, et obſtructiones viſcerum inſecuturas infigendas,

* Tertian Fevers.

quam

quam Corticem ipſum Peruvianum, plus feciſſe. Et revera, ut Chirurgi hujus peritiſſimi obſervata confirmarem, haud raro mihi contigit; nihilominus, niſi aeger in ſummo verſaretur periculo, nemo certe, mentis compos, hoc remedium propinaret, priuſquam, per remedia morbi genio congrua, plenam apyrexiam impetraverit. Haudquaquam enim negandum, quod Cortex Peruvianus, licet medicamentum praeſtantiſſimum, plurimum damni prae ſe ferret; dummodo ſine diſcrimine, et niſi ſub certis legibus, foret exhibitus. Ter enim Maniam a Corticis uſu ſupervenientem obſervavi, ubi, propter periculum quod imminebat, ad Corticis uſum confugere coacti fuimus. Delirium hoc chronicum depletione modica, et ope camphorae et cinnaberis nativi, bis fugavi. Ægroto tamen alteri, qui, autumno praegreſſo, ſub febris finem, inſaniam expertus erat, et ſupra dictorum exhibitione ſanatus fuerat, paucis elapſis menſibus, febre prioris conſimili in praeceps ruente, Corticem in remiſſione porrigebam; ſequebatur iterum Mania: Abjecto itaque Cortice, ſimilem ac antea medelam inſtituebam, incaſſum vero; inopinate enim rediit febris, et accedebant phrenitis, convulſio, mors.—Dicta eo fuſius praemittere volui, antequam de Corticis uſu in noſtra febre dixiſſem, quia, ex analogia et obſervatione fida, praxis medica revera rationalis ſolummodo ſtabiliri poteſt. —Sed ut redeamus; pergat aegrotans in liberali Corticis uſu, donec exacerbatio iterum ſe oſtenderit; dein, hoc ad remiſſionem proximam omiſſo, antiſepticorum aliorum in uſu perſiſtat. Notatu tamen dignum eſt, quod Cortex, ſive ſolus, ſive cum ſpiritu vitrioli, ſive denique cum croco, camphora, aut ſerpentaria Virginiana conjunctus, adhiberi

adhiberi debeat, prout ſymptomata ſeſe medico prodiderint. Si, e. g. calor febrilis ante remiſſionem fuerit ſatis inſignis; ſi reſpiratio difficilis, pulſus plenus, altus, et anxietas magna, tunc ſimul invaluerint; ſi delirium aut ſomnolentia incipiens ſeſe oſtenderint, vel ſanguinea oculorum ſuffuſio aut ferocitas indicia delirii futuri praebuerint; tunc medici prudentis eſt, licet haec ſymptomata mediocriter remiſerint, Corticem Peruvianum una cum ſpiritu vitrioli et hauſtibus ſalinis, parciore ſimul manu, ſubminiſtrare. Si vero ventriculus nunc tenerrimus, et ut minima irritatione ſubvertatur opportunus, pulverem reſpueret, tunc decoctum Corticis cum pauculo cinnamomi dare conveniet.—Hic autem monendum, quod ſymptomata quae viſcera abdominalia, hepar nempe ventriculumque, laborare commonſtrant, attentionem medici imprimis commerentur: Et quum, ex neceſſitate inevitabili, medicamenta haec, malum aliquantum refoventia, nunc temporis adhibeantur; diarrhoea levior quae his aerumnis levamento ſit, ſubminiſtratis iterum eccoproticis lenioribus, vel in eundem ſcopum clyſmatibus, proritari debet; uſu antiſepticorum interim non intermiſſo: Cavendum vero, ne purgatione nimia vires jam elanguentes ex toto proſternerentur.—Siquidem autem febris verſus putredinem veloci pede vergeret, nobis in conſuetudine fuit, ſymptomata jam enumerata nihili pendere, et antiſeptica cum Cortice in remiſſione non ſolum propinare, ſed etiam in horum uſu per proximam febris exacerbationem perſtare; experientia dira ſaepiſſime edoctis, quod ſalus miſeri febricitantis ab hac medendi ratione toto coelo nonnunquam penderet.—Si aeger ex magna

magna ventriculi mobilitate Corticem Peruvianum ferre nequeat, quod haud raro evenit; id remedii cum aliis antiſepticis et pauxillo fortaſſe opii, clyſmatis inſtar, adminiſtrare fas erit.—Obſervatio maximi momenti neceſſario ſe offert. Occaſio aliquando mihi dabatur ut notarem, Corticem Peruvianum, quamvis ventriculo non adeo infenſum, anguſtiam tamen ad praecordia, anxietatem, pervigiliumque, intendiſſe, et delirium aut ſtuporem intuliſſe. Morbo igitur, ſub hac conditione, inflammationem inter et putredinem ambigente, mediam quaſi viam in medela tenere neceſſe erat. Abjecto igitur, pro tempore ſaltem, Cortice Peruviano, infuſum ſerpentariae Virginianae levius cum croco et ſpiritu mindereri propinavi; reſumpto denique Corticis Peruviani uſu, quamprimum ſymptomatum levamen permiſiſſet. Talis interdum fuit caſus, quoties, de ſalute aegri anxius, juſto citius forte Cort. Peruv. adhibueram. Id imprimis et ſaepiſſime accidit, quoties morbus, diutius ſolito ſub ſtadio inflammatorio haerens, lentiore gradu verſus putredinem tendit. Hujus igitur loci erit monere, medicum, dum iſtam febrim tractaret, in anguſtiis non mediocriter verſari; ſiquidem morbus, inflammatione mox in putredinem abitura, diverſa miſti moris remedia, prout haec illave dominetur, efflagitaverit. Et ex ingenio morbi adeo multifario fortaſſe fit, quod febris maligna flava, tractatu difficillima, et omni medicina major, adeo frequenter in perniciem tranſeat.—Stadium putridum, ſicuti antea notavi, circa tertium diem, nunc citius, nunc ſerius, ſe prodit, et magnam corporis debilitatem, ſimulque flavedinem, et diras per varia itinera haemorrhagias, ſibi comites

utique

utique adſciſcit. Fateor candide, quod mihi perpaucos aegros, his ſymptomatis tentatos, ab exitio abripere fortuna fuit: Neque tamen ideo de talium aegrorum ſalute prorſus deſperandum; nonnullos enim fere de quibus conclamatum erat ad ſanitatem feliciter reſtitui. Ut hunc ſcopum optima ſpe ſucceſſus attingamus, dentur antiſeptica ſupra memorata; cui non ſine foenore accedant, julepus e camphora acetoſus et alumen rupeum, ea forma et quantitate qua melius ferat ventriculus: Exhibeatur quoque vinum rubrum auſterum, neque negligendus eſt victus meracior putredini adverſiſſimus. In horum uſu inſiſtendum, donec, ſenſim ſenſimque, ſymptomata febris periculoſiſſima ſiluerint; namque experientia compertum fuit, quod, ſub his conditionibus, criſis notabilis vix foret exſpectanda.—Succeſſus in hoc caſu magis minuſve proſperus erat, prout hepatis laeſi ſymptomata, plus aut minus invaluerant; quoties enim tenſio hypochondriorum et anxietas, hepar inflammatum et mole auctum fuiſſe monſtraverat, toties irrita fuerunt artis molimina: Sed, ſi, hepatis viribus fere illibatis, putredini quaſi exquiſitae occurrere ſolummodo datum fuit, felicior ſaepiſſime erat ſors aegri.

Haud quaquam vero reticendum, quod ingenioſus MacBride *, eo propoſito ut putredo anteverteretur, hauſtus ſalinos in ipſo effervescentiae actu, et ſucci cannae ſaccharifera recentis cum acidis vegetabilibus uſum, commendavit. Et quoniam, in morbo adeo truculento, remedium quodcunque, rationi rectae congruum, attentionem medici meretur; indicium, tanta be-

* Eſſays.

nevolentia

nevolentia prolatum, minime esse negligendum opinor. Neque multum nostra refert, an novam aëris fixi copiam conciliando, an denique ullo alio modo quolibet, ad putredinem obstandam, vel ad natam corrigendam, contribuant.

De vesicantium utilitate, vel quidem innocentia, inter nostrates medicinam in India facientes multum disputatur. An fas esset epispastica ad calcem febris admovere, anxietate aut delirio urgente, premente comate, aut vacillante pulsu, quando timendum, ne impetus morbi vires vitae evinceret? Ambigitur! Dom. Warren * et Hillary † eorundem usum toto coelo damnaverunt; et Hillary casum gangraenae ex vesicatorio in hoc morbo applicato enarravit. Sed, certo certius, gangraena ex conditione moribundi, deficiente jam vigore vitali, et sanguine in putredinem vergente, potius quam ex epispasticorum usu, proveniebat. Et pro axiomate medico, ni fallor, habendum, quod, quotiescunque gangraena hujus remedii usum in morbis febrilibus insequatur, exitus lethalis, non ab ulcere hoc adventitio, sed a morbo ipso alioquin in mortem transituro, repetendus. Neque forte abs re erit monuisse, quod, mirabile dictu! ipsa gangraena aliquid medicati et critici nonnunquam habeat. Casum hujusmodi luculentum, vir, in re anatomica et medica clarissimus, ex sua humanitate, jamdudum mihi retulit ‡; ubi, prout sagacitas in prognosi monuerat, exitum faustum, sub delirio periculosissimo, ex gangraena serpente, praesagire non timebat: Nec eventus spem medici

* Letter to Dr. Mead.
† Diseases of Barbadoes.
‡ Doct. Frank. Nichols Med. Lond. nuper Med. Reg.

 fefellit;

fefellit; namque humor affatim ex ulcere manavit, qui delirium ex toto profligabat, gangraena poſtea aptis remediis obtemperante.

DE innocuo ſaltem, et nonnunquam ſub finem febris flavae proficuo, veſicantium uſu, monuit GEORGIUS WILSON *, vir, in hujus morbi medela, non mediocriter verſatus.

INTEREA temporis, quaedam ſymptomata mitigationem poſtulant.—Remedia, quae in vomitu ſedando ſupra commendavi, ad anxietatem ſublevandam pariter forent proficua. Urgente capitis dolore, delirio, vigilia, vel comate, raſum caput, atque tempora, pariterque manus ac pedes, aceto tepido foveri debent. Si oculi, ſimul inflammati, tumidi appareant, vel ſigna plethorae aliter ſe monſtrent, incidantur tempora, vel cervix prope curſum arteriarum cervicalium, et ope cucurbiti ſanguis ad vires extrahatur.—Haec mala inſigniter quoque juvat pediluvium: Cujus miros effectus, in affectionibus capitis levandis, optime elucidavit clariſſimus Profeſſor WHYTT †. Quod, quoniam ſuam virtutem per ſympathiam in univerſum corpus diffundit, non dubitandum, quin motus generis nervoſi abnormes conſopiendo, et ſyſtema ſolidorum laxando, ad vomitum enormem leniendum, anxietatem moleſtiſſimam levandam, et fervorem ingratum minuendum, optime conferat. Praeterea, quoniam vaſa ad ſummum corpus conſtricta, et aequabilem circuitum intercipientia, anſam, uti credo, primariam morbo conceſſerint, id remedium, hos canales ſympathetice emolliendo et ampliando, fluida ad ſuperficiem corporis alliciet, et habitum circulationis immutando, ac perſpi-

* Vid. Theſin Inaug. p. 20.
† Pathological Lectures.

rationem

rationem augendo, ſanguinis iter liberius per interiora conciliabit. Peſſimum delirium et pervigilium pertinaciſſimum fugatum, et ſomno placido exceptum, pariterque febres admodum periculoſas hoc remedio ſanatas, ſe vidiſſe teſtatur peritiſſimus ille Medicus *. Ab ipſis febris hujus principiis, ſemel, bis, terve de die, pediluvio utendum, neque morbo ad apicem vergente negligendum: Et candide fateor, pediluvium balneo tepido in iſta febre anteponendum; metuendum enim, ne aeger, per apparatum balneo calido utendo neceſſarium, nimis multum debilitetur. Praeterea, adſtante ſtadio putrido, minus tutum forſan futurum eſſet hoc uti, prout a nonnullis cenſetur; dum nil obſtat, quominus, in ſingulis ſymptomatis levandis, ad finem uſque morbi pediluvii uſus inſtituatur.—Si aegrotans ab erigendo ſeſe in lectulo averſetur, vel prae debilitate ſurgere nequeat, panni lanei aqua tepida humectati, donec ſomnus placidus obrepſerit, cruribus applicentur †; vel, quod potius eligendum eſſet, immittantur crura in vas aqua tepida refertum, quod commode ſatis fieri poſſit, quamvis aeger lecto affixus ſit.—Ad eandem metam valent cataplaſmata ſtimulantia, pedibus applicata.

Pervigilium, ſymptoma refractarium, et haud raro perniciosiſſimum, compeſcere oportebit. Id, aliquando ad calcem morbi, deſaeviente anxietate, abſente ſomnolentia, adhibito elixir. paregorico cum camphora lenire conceſſum.

Exacto jam penſo, quatenus febris hujus revera malignae naturam et medelam ſpectat, humanitas et philanthropia quaedam, in prophylaxin utilia, ſuggerit.—Experientia diuturna nobis monſtravit, dirum hunc morbum, per regimen, cum diaeteticum, tum medicatum, anteverti

* Pathological Lectures. † Nervous diſeaſes.

poſſe,

poſſe, et regulas inſequentes in hunc ſcopum plurimum conducere. Quamprimum igitur homo plethoricus Climata Calidiora inter navigandum appropinquaverit, eum ſemel biſve ſanguinem amittere, et lene catharticum ex manna et chryſtalibus tartari unaquaque hebdomade per unam alteramve vicem ingerere, oportebit. Si balneo tepido utendi occaſio daretur, in id alternis diebus per aliquot horae minuta deſcendere, vel hujus loco pediluvio calido uti, debet.—Sit victus parcus, parum ſalitus; et acidis, ſive vegetabilibus, ſive mineralibus, cum potu ordinario utatur; neque a moderato vini uſu prorſus averſetur. Interdiu vento ſalutifero et refrigeranti, quantum poteſt, ſeſe exponat: Namque, in conclavi arctiſſimo, et aëre putrido imbuto, commorando, male ſaluti conſulitur. Ad Indiam Occidentalem nunc appulſo, error quilibet leviſſimus, in rebus nonnaturalibus, eſt toto coelo evitandus.—Bacchi cultores, ii itemque qui ſub ſolibus meridianis exercitio nimio utuntur, aut denique qui aëri nocturno rorido incautius exponuntur, temeritatis ſaepiſſime ſupplicio mulctantur.—Sit victus eupeptus, ſolito parcior, et ex vegetabilibus, fructibus horaceis ſubacidis et ſaccharatis, maxime petitus; ſit potus aceſcens, leviter vinoſus, et laxa conſervetur alvus.

Sin hebetudo, capitis gravedo, aut cutis arida, perſpirationis cohibitae indicia praebuerint, medicum peritum conſulendo, venienti occurratur morbo: Vel, ſi ſuper mare adhuc immoratus medico conſilio neceſſario orbatur, pauculum ſanguinis detrahere, leniſſimum catharticum aſſumere, et poſtea balneo aut pediluvio tepido uti, fas erit; dum in diaeta inſtitui debet regimen temperatum, et ab omni ingluvie alieniſſimum.

Ita forsan praecaveatur Morbus, Peregrinatoribus Junioribus, eheu! funestissimus.

DE

DE MORBO INSOLITO PUTRIDO.

INEUNTE anno 1763, saeviebat apud Antiguam, tam inter homines Africanos, quam inter pecora, Morbus Epidemicus Putridus, cui nullum similem in ista regione, per 16 annos, ortum cognoveram. Hoc malum bruta animalia magna strage primo adoriebatur; boves, oves, porcos, imprimis corripiens, et citissime internecans: In Nigritos tandem degrassatus, omnes quos corripuerat, eosdem ut plurimum Orco demisit. Hic morbus cum sensu lassitudinis et horripilationis levioris ingruebat; quas excipiebant calor molestus, urens; pulsus citatus, inaequalis; sitis; et anxietas circa praecordia, cum quadam spirationis difficultate consociata. Interea, circa latera thoracis, collum, vel denique brachia, exanthema ut plurimum solitarium; rarius plura simul se prodiderunt, quae vesiculas parvas gangraenosas, viribus ignis potentialibus illatas, fere referebant.

HAEC exanthemata, vix anthraci pestifero dissimilia, morbique penitus pathognomonica, potius alte, quam late, proserpebant. Alia interea loci symptomata quodam ordine sese ostendebant: Summa nimirum virium jactura; respiratio anhelosa, suspiriosa; vigiliae; pulsus exilis et variabilis; calor non adeo intensus, sed tangenti molestus; sudores colliquantes, inaequales, gelidi; delirium obscurum, et denique frigus extremorum; omnia quae, intra 24, 36, vel 48 horas, aegros miseros ut plurimum morti tradiderunt.

Gangraena,

Gangraena, in ipſis morbi initiis oborta, in ſphacelum brevi commutabatur, et radices ad muſculos uſque defixas agebat.—Partes ambientes haud raro enormiter tumebant, praeſertim ſi vibices extrema occupaſſent; et ex erysipelate et emphyſemate ſimul combinatis, praecipue ſi ad perniciem vergebat morbus, conflari videbantur: Nonnullis quibus lactior erat eventus, inflammatio firma et dolorifica margines gangraenae circumdabat; iis vero erant ſpiritus et vires erectiores, pulſuſque ſimul plenior et conſtantior: Quibuſdam item aliis abfuerunt evacuationes colliquantes; aliis cutis e contra arida, alvus aſtricta, urina parca ſimul et rubra, atque mens ſatis conſtans, utique reperiebantur. Optimi erat augurii, ſi partes emortuae a ſanis facillime ſeceſſerant, et pus laudabile labia ulceris obſederat. Funeſtiſſimum eventum praenunciabant, anthracis facies ſicca, deturpescens, lurida, et vicinarum emphyſema. Genus brutorum hoc morbo correptum pauca adverſae valetudinis indicia praebebat, niſi quod, aliquot ante mortem dies, adeſſet emphyſema, tunicam cellulosam, ipſamque carnem muſculoſam, occupans; caput, collum, atque extrema imprimis corripiens; et, deinceps mortificans, brevi lethale deveniret. Perpauca cadavera brutorum morbo interfectorum cultro anatomico fuerunt explorata; et ea quidem, quo tempore primo ingruebat morbus, et metus contagii ab opere periculoſo non adhuc deterruerat: Reſecta autem pauca morbi indicia adhibebant.—In quibuſdam cerebrum valde tenerum, et putredini forſan opportunum, tumores capitis, colli, atque extremorum, plane ſphacelati cernebantur.

Nullum exemplum novi, quo cujuſdam homi-

nis

nis malo maligno trucidati cadaver fuerat exploratum; ideo, niſi quatenus anthracem externam et ſymptomatum indolem ab analogia relatam ſpectaret, nihil aliud de morbi genio nobis patebat. Egomet unicus ex incolis albis hoc morbo exceptus ſum: An, ſicuti nonnullis viſum, ab inſpectione cadaveris ovis, quae morbo epidemico periiſſe credebatur; an a contagio inter aegros viſitandos hauſto; an denique ex acritudine humorum inſita, et exercitio nimio evoluta, quod veriſimilius videtur; adhuc ambigitur.

De cauſa morbi non adeo inter noſtrates conſtabat.—Diu fervida et ſicca perſtiterat tempeſtas; et aquis brutorum uſui dicatis exhalatione exhauſtis, ea quae ſupereſſet ſtagnans in putredinem forſan vergebat. Sed, quia quotannis fere ſimiles concurrebant cauſae, et nullus talis effectus antea inſequebatur, hoc neutiquam tali morbo inducendo par erat.

Morbus, haudquaquam inter pecora univerſim graſſatus, ſingulas ſolummodo plagas, ab invicem plerumque ſatis diſſitas, infeſtabat; et praeſertim inter boves et oves, agmine collectos, per contagium plane ſe diſſeminabat.—Ad cauſas igitur a ſitu locorum ſingulari provenientes recurrere forſan licebit. A nonnullis enim obſervatum fuit, quod, in locis humilioribus, aquiſque ſtagnantibus maxime vicinis, malum ſe primo manifeſtabat; ſuperobruentibus autem ubertim de coelo pluviis, minus ſaeviebat morbus; etiamſi haec tempeſtatis viciſſitudo morbum penitus non profligaret.—Sed, quoniam inter inquilinos, et Æthiopas ibidem degentes, nullus morbus praeter ſolitum tunc temporis ingruebat, ideo cauſae ſupra memoratae, ad morbum inducendum, non

ſuffeciſſe

ſuffeciſſe videantur; et ad cauſas alias, forſitan occultas, tandem denique confugiendum erit.—Notatu tamen dignum, quod plurimi Nigrorum, qui hoc morbo conficiebantur, carnem boum et porcorum epidemico malo interfectorum clam devoraverant; unde ſatis probabile videatur, morbum hoc modo pariter ac contagio fuiſſe propagatum. Hiſtoria inſequens exemplum hujus ſatis luculentum ſuppeditabit.

" Homo Africanus, adoleſcens, cum ſociis, in cadavere pecoris morbo defuncti diſſecando et inter ſeſe partiundo verſatus, inter oſſa pollicis indiciſque digiti metacarpalia, cultro anatomico vulnerabatur; etiamque largam carnis ſemiputreſcentis copiam, prout ipſe teſtabatur, ingurgitaverat.—Manum vulneratam, per aliquot dies, oculos magiſtri celavit; ſed, exanthematis in altero brachio demum ſubortis, manum ſauciatam domino nudare coactus eſt, quo tempore brachium ſupra cubitum uſque malum corripuerat. Hiece caſus periculoſus prognoſin minime propitiam indicabat; nec medico ſpes magnae brachium non amputandi reſtabant: At, ex uſu Corticis Peruviani, et ex remediis externis in tali infortunio applicandis, brachium a cultello chirurgico immune prorſus ſuperfuit. Partes ſphacelatae, puncturis ad ſaniem putridam evacuandam factis, ex ſanis ſecernebantur, exanthemata eſcharoticis detergebantur, omnibus denique ad vitam conſervandam accommodatis, homo convaluit, et, exuviis emunctus, in lucem tandem prodiit incolumis." Narratum eſt eiſdem fere verbis ab amico meo ingenioſo, et medicinae in hac Academia ſtudioſo, teſte oculato, et opitulatore revaleſcenti ſalutifero *.

* Dom. Rob. Scott.

CURATURO

CURATURO indicatio erat, putredini obſtare, natam corrigere, eam per emunctoria idonea excutere, et virtutem ſimul vitalem ſuſtinere.

GANGRAENA morbi pathognomonicum, inciſionibus ad ſanas uſque partes factis, decocto herbarum antiſepticarum et ſalis ammoniaci crudi, illico fovebatur: Hoc inſtituto, plumaceola, cum unguento baſilico et oleo terebinthinae calefactis imbuta, fuerunt admota; applicato inſuper cataplaſmate ex theriaca, croco, camphora, et ſale ammoniaco crudo, confecto.—Quod ad remedia interna pertineret, febrim nihili pendentes, Corticem Peruvianum cum ſerpentaria Virginiana et camphora porreximus; dum acida mineralia cum potu qualicunque fuerunt commiſta.

HAEC fuit medela uſitatiſſima; nec ſemper ſine profectu adminiſtrata, dummodo morbum tempeſtive tractandi occaſio data eſſet. Exitio plena fuit quaepiam evacuatio arte provocata. Venaeſectionem celebrare, aut primas ipſas vias purgare, nunquam fere permiſſum eſt; quoniam ab hiſce proſtratae eſſent vires, nunquam poſtea erigendae. Ad antiſeptica, eaque liberali manu oblata, protinus confugere neceſſe fuit; quia ſors aegri, ſive fauſta ſive funeſta, intra alteram tertiamve diem haud raro fuit dijudicata.

TALIS fuit morbi facies; talis denique medela: Sed, in morbo adeo maligno et revera peſtifero tractando, haud eſt mirandum, ſi optima remedia ſaepe ſaepius ſine fructu fuerint tentata. Peſti ipſi affinis eſſe videbatur hic morbus: Sed ab illa ex eo diſcriminabatur, quod tumores, tum Nigritos tum genus brutorum infeſtantes, et qui reipſa anthraces ſuo genio referebant, citius quam in peſte

ſeſe

ſeſe monſtrabant; neque adeo frequenter criſin fauſtam concedebant.

GEMELLI CARERI morbum, huic conſimilem, deſcripſit *; anthraces enim, uti ait, decumbentibus collum, aurium et maxillae inferioris viciniam, occupabant: Et notatu apprime dignum eſt, id cujus meminit; nempe ruſticos, qui carnes vervecum anthrace peremptorum in cibis adhibuerant, paſtores item, laniones, lotrices, qui pecudum iſtorum cadavera vel lanas tractaverant, eodem morbo graſſatore fuiſſe correptos. Et denique PLINIUS talem morbum, in Gallia Narbonenſi, ſporadice populabundum commemoravit.

* De Peſte Indica.

FINIS.